SIONIS CERTAMINA ET TRIVMPHVS;

SIVE ECCLESIÆ PERPESSIONES ET *Gloria Conſecutura.*

E Prophetarum Anthologicis paſſim decerpta, & in unius Faſciculi Synopſin, Genio Poetico Colligata.

Per *Ro. Horſmannum*, Collegiorum Ætonenſis & Regalis in Academia Cantabrigienſi quondam Alumnum.

Quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt, ut per tolerantiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus, Rom. 15. 4.

Nè timeto Populo mi virgâ ſuâ percutiet te pro Ratione Ægypti.

Nam adhuc pauliſper, & Conſummatâ Indignatione tum Ira mea incumbet Conſumtioni Iſtorum, Eſa. 10. 24, 25.

Populo mi qui ducunt te ſeducunt, & Viam itinerum tuorum perdunt. Eſa. 3. 12.

Anno Dom. MDCLI.

1110. c. 22.

SIONIS CERTAMINA ET TRIVMPHVS;

SIVE

ECCLESIÆ PERPESSIONES

ET

Gloria Conſecutura.

E Prophetarum Anthologicis paſſim decerpta, & in unius Faſciculi Synopſin, Genio Poetico Colligata.

Per *Ro. Horſmannum*, Collegiorum Ætonenſis & Regalis in Academia Cantabrigienſi quondam Alumnum.

Quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt, ut per tolerantiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus, Rom. 15. 4.

Nè timeto Populo mi virgâ ſuâ percutiet te pro Ratione Ægypti.

Nam adhuc pauliſper, & Conſummatâ Indignatione tum Ira mea incumbet Conſumtioni Iſtorum, Eſa. 10. 24, 25.

Populo mi qui ducunt te ſeducunt, & Viam itinerum tuorum perdunt. Eſa. 3. 12.

Anno Dom. MDCLI.

BRITISH

38
9 6
135

LECTORI CANDIDO.

NE vitio vertat mihi, Lector benevole, cenſura aliqua inclementior, Hoc ſuſceptum à me inſtitutum, transferendi aliquas S. SCRIPTURÆ particulas in Stylum Poeticum; Conſtitui *ſemel* Hanc Apologiam elucubrationum mearum Candidis Judicibus offerre, Me certè nec audaciæ temeritate, nec ambitione Glòriolæ, nec verò Lucri ſpe in Hanc Provinciam involaſſe; ſed primùm Mei ipſius ærumnæ, & ἀρρωστήματα, mox & gravia Publici ſtatûs Symptomata me in hanc Salutis officinam impulerunt, ut aliquid medicamenti invenirem ſalutiferis hiſce paginis involuti, tam meæ, quàm Popularium meorum valetudini aut curandæ aut ſaltem leniendæ, efficacis. Cui Fini aſſequendo nihil de *Meo* huic molimini attuli præter Methodum, & Numeros; *Illam*, ut Res locis valdè diſſitis tractatas, & promiſcuè in ſacro Codice occurrentes (Morbos inquam ſupradictos, & eorum Remedia) in ſua quaſi Topica diſtinctè conferens, & Operis hujus ſcopo appoſitè applicans, unâ Synopſi contemplanda proponerem; *Hos*

ut Ipſorum adminiculo ſalutare hoc pharmacum (altam Tranquillitatem debitè recipientibus conciliaturum) Perlegentium auribus jucundiùs influat, memoriis tenaciùs inhæreat, deniq; ipſa ſuavitate totis *ad imum* præcordiis gratiùs ſe admiſceat, penitiúſque recondatur; Et cur mihi quiſpiam litem moveat de Poeſi hoc animo adhibendâ ad SS. Scripturarum Miniſterium! *Harum* præſertim quibus iſthic incubui? Cum earum nonnullæ Hymnici ſunt generis, & ab ortu ſuo primogenio *Hoc Charactere* percuſſæ; *Aliæ*, ſtyli incitatioris, & quæ πάθος, & vehementiam præ ſe ferunt, genuinum utiq; colorem Poeſeos immò ipſum Genium; *Univerſæ* demùm non adeò ab hac metricâ habitudine abhorrentes quin, non magis (ac iſtas) Huic muneri idoneas, clari antehac bonique viri non ſine Ipſorum laude, & inſigni Poſteritatis voluptate & emolumento, hoc Veſtitu emiſſas, in Lucem protulerunt.

Quibus ego Argumentis, & Authoribus, facilè à læſæ S. Scripturarum Majeſtatis crimine me liberaturum ſpero, immò cumulatiorem initurum apud Pios gratiam; utpotè qui mihimet planè diffiſus non ex officinâ propriâ, ſed ex ſolo *DEI* Omnipotentis armamentario univerſa prorſus tela depromſerim, quibus contra Hanc *Lernæam* enaſcentium Errorum ſobolem dimicaverim: Quod ad literarios hujus Rapſodiæ nævos, & invenuſtias attinet, *nihil* equidem *Novi* eveniet, ſi à Mediocri Artifice nonnulla

nulla Artis Dedecora in Tabulam influxerint; Nec ego profectò Has Diatribas eo animo in Publicum protuli, ut exquisitissimam acerrimorum Judicum Censuram fastuosè provocent; sed Illâ summoperè reformidans rogo, obtestorque ut pro æquanimitate suâ (genuinæ eruditionis perpetuâ comite) lenire eâ velint ergà me atque retundere; utq; reputare apud se dignentur quã non facilis res sit in Materiâ *determinatâ* invenire *Locos* Qui scopo alieni Authoris satis congruant, aut *seriem dictionis*, quæ propositum Ipsius subjectum continuet ab initio ad Finem (si fieri poterit) desumpti in manus Capitis, idque eo Delectu, ut aptè Ideæ in Artificis animo immanenti sensus Scripturæ (in Solidum) respondeat, absque nimiâ Contextuum quasi in frusta dilaceratione, & suffectione deindè Periodorum hinc, indè intercisarum cum Operis Genio consentientium, ut symmetria ejus conservetur, & (Pigmentis è qualibet pyxide accersitis) Iconismi perfecta compages ad miniculatoris libitum figuretur. Cujus aliquando licentiæ, luculentioris Ecphraseos gratiâ mihi assumptæ, non equidem me reum diffiteor; sed parciùs illâ plerumque usus sum, nisi sub finem tantùm operis, ubi viâ maximè compendiariâ metam assequi anhelans, minutim arripui quæ in Scopum meum succinctissimè expedirent.

Ad *hanc* difficultatem accesserunt & alia incommoda quæ Diatribes hujus ἀκεσίαν impe-

diverunt; Nimirum Publicæ & privatæ noſtræ ſollicitudines, quæ vigorem animi mei retuderunt; quinetiam Defectus *Moræ* & *Limæ* quas ad Poema legitimè exequendum, Criticorum olim Magiſter *Flaccus* requiſivit, *Quaſque* mihi *jam* Temporis anguſtiæ, & Emendatoris idonei inopia ſurripiunt, niſi ſuſtinerem deproperatæ hujus Editionis ſcopum perdere. Sed enim verò Moleſtiam mihi maximè auxit aggreſſus hujus novitas & inſolentia, peragendi ſcil. *Deſignatum* adeò *Multiplex* Solius Scripturæ admini culo: Cum in Tractatibus Theologicis (certo alicui Propoſito deſtinatis) Mens & Oratio Humana ſuas partes habent, & pluſculum Materiæ de *Suo* afferunt, & ſuppeditant: At at in iſtâ hujus Syſtematis comportatione elucet S. Scripturæ pura puta, & *Sui* tantùm plena ſimplicitas, ex intimis Eſſentiæ propriæ, ut ita dicam, Viſceribus univerſam ſuppellectilem ſubminiſtrantis quæ ad Telam hanc conficiendam *ex ſeſe* abſque concretione aliquâ forinſecâ integrè ſuffecerit; Nec enim inventionis meæ Symbolum (*in Materialibus*) Huic Syntagmati adjeciſſe auſus oram, nè aſcititio aliquo Gloſſemate ad noſtram ſententiam Scripturæ Canonem inflexiſſe velle videar; Quæ mea Religioſa obſervantia in anguſtias me compulit, & contentionem non mediocrem in Arcto laboranti peperit.

Hæc ego præfatus ſum quò excuſatiorem me redderem caſtigatioris Judicii Viris, quamlibet non

non mihi cum talibus Literarum Proceribus Res præcipuè geritur, ſed cum tenuioris Diſciplinæ hominibus, & ad Salutem magis, quàm Delicias ſpectantibus, ut *illis* aliquâ ſaltem Hoc ſive προφυλακτικῶ ſive θεραπευτικῶ in iſto tam proclivi in Errores ſæculo *Utilis*, DEO benedicente, & *Salutifer* eſſe potero; aut ſi non aliis, at mihimet ſaltem proficerem, verſanti jam diutiùs in Hoc DEI Ipſius *Noſocomio*, ubi tam *Morbi* Animæ quàm *Remedia* luculentiſſimâ claritate, & veritate authenticâ proponuntur; E *quibus*, utriuſque claſſis Decadem excerpſi, & Latinâ Verſione in Lucem protuli; non eo animo ut Hæc universìm *Probra* Genti meæ imputem, ſed quò in *Hypotypoſeos* hujus quaſi ſpeculo (minimè fallaci) animadvertant cœlitùs Illuminati, Peſtium iſtarum acceſſus & incrementa ſi quando ſe propiùs admoverint, promoverintq; efficaciùs: atque adeò per hæc ſanctuarii perſpicilla, dilucidius *ſynceram* Rerum Temporumq; indolem, ſummotis phanaticis hallucinationibus, deprehendere valeant; inveniantque ex criticâ iſthac authenticæ veritatis Indice (fideliter ab ipſis recognitâ) de Quibus utique quotidiè Emergentibus aut ſine Dementiâ gaudeant, aut *meritò* abſq; moroſitate contriſtentur. Ad quam Normam ſi affectuum ſuorum regimen exigerent Viri, decenter equidem, & *DEO* gratè vices ſuas peragerent (Par illud nobile) Lætitia, & Dolor donec evaneſcente prorsùs Dolore ad Exortum Gloriæ *DEI*, perpetua

Lætitia ſuper præſtolantium eam Capita perennaret, Quemadmodum ratiſſimus Pollicitorum Præſtitor ſub Sigillo Fidei Ipſius in hâc Hypotypoſi diſertiſſimè promulgavit:

Faxit *SPONSÆ* ſuæ Militantis Paraſtates, & Brabeutes *JESUS CHRISTUS* ut *Tempore ſuo* quàm citiſſimè Certamina ECCLESIÆ in Triumphos vertantur, FIDES Orthodoxa per *nutricias* Terræ POTESTATES in majora Pietatis Incrementa indies provehatur, SALUTIS *communis* Participes, in eandem AMORIS Communionem coaleſcant: SCANDALA, & OPPROBIA ECCLESIÆ ſummoveantur, Qui pertinaciter *Eam* inquietant abſcindantur, ut ſic demùm videamus SIONEM Caulam tranquillam, Tentorium quod non diſſipabitur; Denique adſit *amœnitas* JEHOVÆ DEI Noſtri n bis, & Opus manuum Noſtrarum inſtituat in nobis, ipſum inquam opus Manuum noſtrarum inſtituat. *AMEN.*

Synopſis

SYNOPSIS TOTIUS

ſequentis *Operis* in *quo Continentur*,

ECCLESIÆ { *Morbi.* / *Media Curationis.* / *Ipſa Curatio.* / *Triumphus.*

Pars Prima Eccleſiæ *Morbi*, quibus præponitur.

THrenodia *in univerſum deplangens ægrotantem Eccleſiæ ſtatum.* Jer. 9.

MORBUS I.

In quo, Pſeudo-Judæorum Antinomyſtæ figurantur, & Minis percelluntur. Jer. 11.

MORBUS II.

In quo, Hujus Sectæ Hominum plus quàm Ethnica

nica ſævities, in veros Izraelitas, enarratur. Jer. 12.

MORBUS III.

Ubi, Hypocritici Cultûs fucus, & deindè perfida in Scelerum Barathrum Recidivatio acriter perſtringuntur. Eſa. 58. & Hoſeæ 6.

MORBUS IV.

Diſſolutionem tam Civilis, quam Eccleſiaſticæ Adminiſtrationis Universim prædicit. Zac. 11.

MORBUS V.

Reipublicæ ἀταξίαν, particulatim primo per malos Judices illatam figurat. Pſalm 82. & pars Eſa. 59.

MORBUS VI.

Bellicos *tumultus explicat, in prævaricantem Ipſius Populum pro Remedio à DEO excitatos; at verò in exitum Invadentibus perniciosum.* Ezek. 35.

MORBUS VII.

Corruptelas in Eccleſiam invectas per utriuſque Sexûs Enthuſiaſtas notat. Ezek. 13.

MORBUS VIII.

Progreſſum Injuſtitiæ & Impietatis Omnium Ordinum exprobrat, promiſſâ tamen Reſtauratione. Eſa. 1.

MORBUS IX.

Obſtinatum in maleficiis animum, & in nequiſſima ſtudia exardentem narrat: Hoſe. 7.

MORBUS X.

Judæis violentiam & Diſſidia invicem exercentibus

tibus interminatur Deus, diriori Chaldæorum immanitate has ſimultates retuſaturi. Hab. 1.

Σχελιάσμον *ſecundum quaſi agmen claudens* calamitatum Eccleſiæ, *paucitatem Conceſſûs ſui ingemiſcentis; ſe tamen Promiſſionum Plerophoriâ ſuſtinentis, & exinde ſeſe applicantis ad Media* legitima *Illas obtinendi*, viz. *ad Exercitium Fidei, & Reſcipiſcentiæ & Orationis* ἀνυποκείτε. Micæ 7.

Everſâ penitùs ad ſenſum humanum, Politiâ tam Civili quam Eccleſiaſticâ, ad DEI Omnipotentiam precibus confugit; Magnalium, antiquitus præſtitorum, reminiſcitur, & ut, eâdem efficaciâ, Hoſtium inſolentiam retunderet, & ſuorum Saluti conſuleret, vehementiſſimè eſflagitat. Pſalm 74.

Pars ſecunda *ſc.* MEDIA Curationis.

Primum Medium FIDES.

Jubetur Eccleſia in Rebus deſperatiſſimis, FIDEM *ſibi pro telo unico aſſumere, & ad recordationem inenarrabilium DEI Facinorum ſeſe aſſuefacere, & præter ſpem ſub ſpe Promiſſiones arripere, tributâ Gloriâ DEO.* Eſa. 50. à v 4. ad finem cap. 51. & Hab. 3.

Medium Secundum *Reſcipiſcentia.*

Præcipiente Reſipiſcentiam DEO, morem ei gerunt genuini *Iſraelitæ, opemque ipſius una*

cum

precibus
cum Propheta obnixè viribus implorant, Quæ licet pro Populi Universitate, apud DEUM in præsenti non valuerunt; attamen Reliquiæ secundum Electionem Gratiæ, fructum Illarum consecuturæ erant, & in præsenti magnificis Promissis in spem bonam eriguntur. Cfr. ita Hoseæ 14. & Jerem. 14. à v. 7. ad penultimum *intertexta.*

Medium tertium *Oratio.*

Oratio Residui Izraelitici in Captivitate Babilonicâ, pro Reversione suâ in Terram promissam, & Cultûs Dei Restauratione. Psal. 80.

Tertia Pars Ipsa Morborum PROFLIGATIO cui præfigitur.

Tempus maximè accommodum adimpletioni Promissionum DEI, in exhibendo CHRISTO, & Salute ac Gloria Ecclesiam dotandâ: nempè post peracta Judicia Divina, superiore Capite explicata.

REMEDIUM I.

Primæ Pestis Curatio ex diversis periodis accersita.

Indicans ingens studium Germanæ Ecclesiæ sobolis, in amplectendâ Lege DEI; & Promissiones augustissimas, veris Illius Cultoribus indultas.

Remedium 2. Pestis.

Ubi inimicorum Ecclesiæ truculentia in ipsos redituræ asseritur: & post frustratos illorum insultus, gloriosus Ecclesiæ status, cum internecione

necione Malignantium conjunctus *graphicè figuratur.* Esa. 33.

Remedium 3. Pestis.

Ubi infucatæ Pietatis, & cordati, ἐν κρυπτῷ, *cultûs Idæa, tanquam fœlicitatis omnimodæ Amalthæa, luculenter exprimitur.* Zach. 12.

Remedium 4. Pestis.

Redintegratio utriusque Politiæ, antegressæ dissolutioni ex adverso sistitur. Ezek. 37.

Remedium 5. Pestis.

Perfectum Civilis Administrationis exemplar & Divinæ Commoditates hinc in subditos profluentes indigitantur. Esa. 32.

Remedium 6. Pestis.

Ubi non solum Edomæorum cladem exequitur Christus, verum (postquam Ipsius portionem per Ignem eduxerit DEUS) spondet etiam universam Hostium Ecclesiæ colluviem pessûm ituram & omnia ad votum Ecclesiæ cessura. Esa. 63. à v. 1. ad 7. & Zach. 13. à v. 7. ad finem Cap. 14.

Remedium 7. Pestis.

In quo corruteläe sanæ Fidei, cum ipsarum authoribus, per Ecclesiasticam Censuram aut corriguntur, aut resecantur.

Reme-

Remedium 8. Peſtis.

In quo Degenerans, Illa utriuſque ſtatûs in omnis generis Apoſtaſiam progreſſio non ſolum ſiſtitur, ſed etiam in pleniſſimam omnium Adminiſtrationum & Ordinum Reformationem evadit. Eſa. 60.

Remedium 9. Peſtis.

Pertinax ille in malo & erga Suos *infeſtus Spiritus, in manſuetum & facile placabilẽ Chriſti afflatu tranſit; cunctis Diſſidiis inter Fratres ceſſantibus, & tantùm in Alienorum à Fide Orthodoxâ ſubjugationẽ ſeſe exerentibus.* Eſa. 11.

Remedium 10. Peſtis.

Ubi oſtenditur Chaldæos Iudiciorum DEI in Iudæos propter Peccata ipſorum Adminiſtros, propediem propter Propria multiplicia, & enormia ſcelera perituros; Idcirco Populo ipſius acquieſcendum in caſtigationibus DEI, *præceptâ ſpe liberationis promiſſæ.* Hab. 2.

Quarta Pars TRIUMPHUS.

HYMNI DOXOLOGICI.

Primus Hymnus.

Eſa. 35. *Univerſæ κλίσεως, quaſi in Novam Fabricam recreatæ, exultatio*, de Bonorum redemptione, & improborum interitu; *juxta illud Apoſtoli, Mundus hic conditus exerto capite expectat Revelationem Filiorum DEI*; Rom. 8. 19. *Quòd & ipſa creatura*

tura liberabitur ex ſervitute corruptionis, in Libertatem Gloriæ Filiorum DEI. verſ. 21.

Secundus Hymnus.

Fuſiùs prædictæ Doxologiæ Cauſas *explicat, & mirificis Sermonis Luminibus illuſtrat, uſq; adeo ut medullitùm melos è Piorum intimis ſenſibus eliceret.* Eſa. 25.

Tertius Hymnus.

Uſum præſcribit Beneficiorum DEI, ſcil. *Laudationem, quâ Eccleſia ſuam firmitatem in* DEO, *& Fidem in Illum profitetur, & hinc omnes ad fidem hortatur, à Juſtitiâ, Æquitate, & veritate Judiciorum DEI in malos ſimul & Bonos; E quibus Hos quaſi de morte redivivos excitat, ſublatis nefariis; & omni ſublimitate, quæ ſe extulerit adverſus Regnum* IPSIUS, *demolitâ.* Eſa. 26.

SUB QUA SPE

Eccleſia, freta promiſſionibus DEI, *& Adventu Chriſti præcepto fide, hinc Gloriabunda, provocat univerſam Hoſtium vim Sarcaſmo amarulento;* certa *Adjutorii ſufficientis contrà omnes Ipſorum incurſiones, victoriæque de illis internecinæ & facilè parabilis.* Micæ 5.

A quo tempore obtigerit Piis, indultæ ſuæ ſortis ſecura fruitio, & impedimentorum ad eam adeundam amolitio; Quâ ſpe erectâ Eccleſiâ, æquanimiter ad Tempus Dolores (quaſi parturientis) *&* Hoſtiũ *conatus irriti ferendi ſunt, Qui propediem ſub Eccleſiæ pedibus conterendi ſunt, & facultates eorum Anathemate*

te

te devovendæ. Mic. 4. à v. 4. ad fin. Cap.

Profligatis omnibus Ecclesiæ Hostibus, serenissimus illius status perstringitur, idque per concisas Scripturarum Periodos, in compendium operis accommodatas. p. 97.

Huic Hypotyposi subnectitur (p. 100. l. 5.) *Exhortatio ad vigilantem & castigatam Animi Sobrietatem, quò digni habeamur ut consistamus ante* FILIUM HOMINIS, *Cujus adventus erit quasi Ignis conflaterius.*

Pro Colophone (p. 101. Mal. 4. 4.) *præcipit* DEUS *ut incumberent omnes in obsequium* LEGIS *ipsius (per Mosem traditæ) nec auderet Quispiam, aliud Quodcunque fiduciæ fomentum, in propriam perniciem, in sinu suo alere; sed omnino Litibus summotis,* PACI, & PIETATI *unicè studere; missis Heterodoxis & portentosis Dogmatibus ut ab Apostasiæ labe conserventur.*

SIONIS

SIONIS CERTAMINA ET TRIUMPHUS.

SIVE ECCLESIÆ PERPESSIONES ET *Gloria conſecutura.*

IEREMIÆ Cap. IX.

ARGUMENTUM.

Deflet inexpletum culpas pœnasq; ſequaces
Indigenæ Gentis; ſeceſſum diſcupit, atram
Ne videat Nemeſim, ÆTERNÆ faſtidia LEGIS,
Præcipitis ſenſus Delirtaq; increpat; atri
Provocat ad Luctus irritamenta Propheta,
Diſſuadetq; Spei fomentis fidere Vanæ:
IUDICIA edicenſq; Epidemica, ſuadet IOVÆ
Judicis *inq; Metum, Spemq;* Aſſertoris *ovantem.*

O Si continuus mihi ſalſæ aſperginis humor
De Capite effluereț ſtipato, Oculiſq; perennes
Sufficeret madidis ceu vivo è Fonte ſcatebras,
Ut Populi Exitium infandum Nocteſq; Dieſq;
Enormis Lachrymator opimo efflevero luctu.
O utinam *Tiguri* tacitâ latitantis Eremo

Noctem aliquis rudis arte Faber præſtaret aventi,
Ut fugiam indigenas Cœtus ſpontaneus Exul,
Seceſſumq; parem à Populo ſuper omnia charo.
Nequitiam in turpem namq; exardeſcit, et altâ
Proditione DEO illudit fallaciter Omnis
Perfida Colluvies, figmenta in inania Linguam
Intendens, Hunc inq; Scopum ſtridentia ſtrictis
Mi:hlia expromens pharetris; At inutilis illis
VERI in Suppetias Virtus, Viſq; algida friget:
In mala proclivis miro ſed proficit auctu
Illa parum NOSTRI Gens conſcia (dixit IOVA.)

Quiſq; à Vicino ſibi viderit Aucupe (cautus)
Credulus in blando nec Fratris Nomine fidat.
Nam Quivis Fratrem everſum propellet ad imam
Prorſùs humum: Vicinus & invidioſa creabit
Crimina, & inſonti Vicino impegerit author.
Quilibet aſtutas fraudes & Amicus Amico
Conſuet: ora rato nec deluſoria Vero
Aſſueſcet: docuiſſe ſuas Mendacia Linguas
Arguti artifices, magnoq; labore prementes,
Suggerit Improbitas quicquid ſtudiumq; nefandum.
Accola Perfidiæ mediis in fraudibus hærens
Degis, amaſq; dolos, fibræ fallacis & artes.
His (ME poſthabito) projecta ſcientia NOSTRI eſt,
Vileſcitq; *Planis* amentibus, inquit IOVA.
Hanc ſecum Peſtem reputans *Sic* Arduus infit
Rex Exercituum: *At concretos ſordibus Iſtos*
Diffingam ecce, meo conflabo iterumq; catino,
Igne repurgatos. Pro Noſtræ nam Quid Alumna
Gentis agam, accipiat reducem ut moribunda Salutem?

Horum Lingua Doli lethali tincta veneno,
Suavè loquens, jugulis ludit quaſi Culter acutus.
Ad Pacem effictis Aliquis compellat Amicum
Vocibus, inſidiaſq; malas ſub mente profunda
Dirus Adulator recoquit, diſponit & aptis
Proditor illecebris. Quid Geſtis Hos ſuper iſtis
Annon inviſam, Scelerum Artificeſq; ſceleſtos
Exagitem (ſævas præceps ruiturus in iras)

Tale

Tale Genus meritòq; hominum plectam? inquit IOVA:

Hos propter *montes* fletus lamentaq; tollam,
Et Pedemontanas (Ovium per Paſcua) caulas.
Nam paſſim, Terris totâ Ditione peruſtis,
Rura dehinc nullus peragrabit nuda Viator:
Nec pecoris vox ulla ſtrepet, volucreſq; nefaſtis
Aeris è Campis, *Terræ* & Jumenta recedent.
Quin *Solymæa* (furens) in acervos *Caſtra* reducam
IPSE manu, ponamq; perenne Draconibus antrum,
Et deſolatas cunctis regionibus Urbes
Fecero Judææ, nullo has habitante Colono.

Quiſnam Hominum Hæc ſapiat prolata Oracula Myſtes
Entheus,& DOMINUS quæcunque edixerit Ore,
Ipſe ſibi argutus recolat; ſed & Illa Magiſter
Diſcipulos alios doceat? Cur Terra rebellis
Nempe ſuperfuſo confeſtim adolebitur igni,
Uſque adeò ut Nemo Deſerta retorrida calcet?
Scilicet Æternæ quod Jura perennia Legis
Nequiter Errones *modò* deſeruere fugaces,
Coram His præſtitui ſtabili quæ Fœdere; Voci
Nec prompti aſſentire Meæ voluere; nec æquis
(Juſſi) perrexiſſe Viis; ſed *reproba* Mentis
Quò propriæ ducit *Sententia*, ſponte vagantur;
Quos REGES DOMINOSQVE vocant (phanatica prorſus
Numina) ſectati, ut PATRES docuere Magiſtri.
Ergo Exercituum Præſes, DEVS atque JACOBI
Sic ait; En Iſtis (Soboli radicis amaræ)
Largiar ecce manu comedenda abſinthia plenâ,
Poculaq; infuſis tradam potanda cicutis;
Perq; Atheos populos, ſine Lege & Numine vero,
(Neſcierant quos Ipſi adeo Iplorumq; Parentes)
Spargam, & poſtico impulſos mucrone fugabo,
Donec eos totâ faciam concedere Terrâ.

Sic Exercituum Dux, (heus!) advortite, clamat;
[Vobis cum in planctus *Animus*, *ſed & otia* deſint]
Lamentatrices ſtudioſi accerſite, doctas

Incendendo animo, Conductæ ut ritibus adſint
Flebilibus, vobis (ſtupidis) præeantque citatæ
In lamenta Duces, gemituſq; in funera tollant
Compoſitos; ut denſa emanet Lachryma ocellis
(*Turpiter*) edoctis, *antlataque* palpebra in amplos
Sufficiat fletus; ululatus namque ſonorus
E Tzijone recens increbuit: O Dolor! O Mors!
Quomodo diripimur? Pudor (heu) confuſioque ingens
Nos operit; Terram (Gens pulſa) reliquimus almam,
Et nos inviſos læſi evomuere Penates.

[*Sed Luctus nè vos longi, & breve Tempus agendis*
Arctet in Exequiis] iterum auſcultate JEHOVÆ
Fœminæ, & Eloquium bibulas deſcendat in aures:
[Mittite *Longinquas*] ſtudia in funebria Natas
Et *Proprias*, quin *Finitimas* ſibi Quæque viciſſim
Informato ſuas; in celſas namque feneſtras
Irrupit Libitina, Palatiaque ipſa procellis
Vis armata quatit, Pueros ut (inhoſpita) vicis
Demetat anguſtis, latis Juveneſq; Platæis.
Eloquere (IPSE *novâ* nam ſic *vice* mandat IOVA)
En Hominum obtectis collapſa cadavera Campis
Diſcubuere palàm, Fimus ut tellure ſupinâ,
Aut velut incurvâ demeſſi falce Manipli
Meſſoris poſt terga; Nec eſt Qui colligat illos.

Sic ait OMNIPOTENS! Quin Faſtu abſiſtite *Viles*,
Nec Sapiens Sophiæ fulgore ſuperbiat almo,
Robuſtuſve ſuæ turgeſcat Imagine Molis,
Divitiis neque ſe Dives malè jactet in amplis;
Verùm Animos MIHI JAH demittat quilibet altos,
Jactet & Hoc (jactare velit Quicunque) SUPREMUM
Noſcere ſe (*æternùm*) ME ME *ſupereſſe* JEHOVAM,
Exercentem *Humili veniam*, *Jus triſte Protervo*,
Juſtitiamque, Modum ambobus communiter æquum;
His apprimè etenim delector dicit IOVA.
Volventurque Dies *Seclis* labentibus (inquit)
ME *quibus* in quoſvis animadvertente Virorum,
(Propudiumque ſuum recutitos, & cute tectos
Probroſâ) paſſim ut ſuerit promiſcua cædes:

Ægypti

Ægypti in populos, Judæos, inque colentes
Palmiferam *Idumem*, & *Lothæo* à Semine Gentem
In duplicem, incultæ in raros deniq; Eremi
Municipes, ſparſim degant quocunq; receſſu.
Namque Harum intactis ſordet Turba integra Gentûm
Præputiis; ſed & Orta Bono Gens tota JACOBO,
Carne ſacra eſt, at *Corde* heu præputiata prophano.

JEREMIÆ CAP. XI.

ARGUMENTUM

Collapſam LEGEM *inſtaurare* (utrimque *recluſis*
PROMISSIS DIRISQUE) *Iſto Sermone Jubetur,*
Juſſus & obſequitur Vates, & cœtibus effert
Hanc conſanguineis; Scelûs atteſtatus Avitum
Poſtgenitos ſuperaſſe; DEUM mutaſſe Deaſtris,
Figmentiſque Fidem: hinc ingens Divinitùs Illis
Detonat exitium; ſtruit Illi Atrocia contrà
Fœx **Anathothana**; hinc *meritis devota flagellis.*

VERBVM ad Jirmeiam [Socios Myſtaſque] JEHOVÆ.
SACRORVM O Chorus Antiſtes, CVLTVSQVE SVPREMI;
PACTI HVJVS Placita (*ancipitis Dilemmate Suadæ*
Sancita) exaudi; Curâque deinde ſecundâ,
Eloquio expedias Populum Amanuenſis ad Omnem
Quique Jehudæ Agrum, Regalemque incolit Vrbem:
Dices ergo Illis; DOMINVS DEVS Ipſe JEHOVA
Sic ait IZRÆLIS Soboli: Execrabilis eſto
Omnis Homo Pacto Qui refractarius Iſti
Sanctâ immorigeram Doctrinâ averterit aurem,
Quam veſtris Pharii ereptis Fornace Camini
(Cum validè extuleram) præcepi Patribus olim,
Edicendo frequèns, Noſtris parete Statutis
Quâ vobis libeat Mihi Voce præire ſequaces

Morigero obſequio, Quo ſim DEVS Ipſe perenni
Sorte Tuus, Tu Genſq; mei ſis ſola Peculî.
Hác tibi Lege, fide *rata Juramenta*, tenaci
Fecero, *Quæ* veſtris fueram depactus ab Alto
Tempore cum Proavis; fore ſic de Carcere miſſos
Vos, ut EGO lactis campeſtris in Uber Opimum
Mellis & Aerii deduxero; Quale vel *iſtâ*
Tempeſtate Solum Decus exerit: His ego victus
Mandatis, Fiat dixi Tua (SANCTE) Voluntas.
Tunc mihi præcipiens DEVS inſtitit; Omnia Præco
Buccineis EDICTA tonis, Hæc clange per Vrbes
JVDEÆ populoſæ, Alti vicoſq; SIONIS;
Dic & Eis; O denſa Virorum Examina, Pacti
Hujuſce articulos aurito immitite Cordi;
Quin pia prolificas in Facta emittite Normas.
Namq; EGO nequicquam crebro molimine certans,
Conteſtatus eram Majores tempore veſtros,
Ex quo de Phariæ eduxi Tellure Tyrannæ
Hunc vel ad uſq; Diem, Primi ſub Tempus Eoi
Sedulus aſſurgens, monituſq; capeſcere ſacros
Voce jubens liquidâ: Sed enim Cervice retortâ
Jactato Gens dura jugo, parere negabat,
Indocilemq; adeò Præſcriptis cœlitùs aurem
Obvertit (vecors) & Quiſque Tenebrio præceps
In privati ivit Phantaſmata ſubdola cordis.
Ergo in Apoſtaticas dignâ Mercede catervas
Invexiſſe ſtetit Contempti Vltricia Pacti
Omnia verba Hujus; Sanctâ quæ Lege ſceleſtis
Indixi facienda, at Eis infecta *jacebant*.
Nunc at ait DOMINVS, Mihi conjuraſſe malignis
Progenies reperitur Avis; Pandemica Peſtis
Et JVDÆ invaſiſſe omnes, SOLYMÆQVE colonos
Tabe putri, metaſq; ultra excrevere Parentum
Nequitiæ *Enormes*; Qui quondam Tempore priſco
Officia abnuerant mandata capeſcere; Surdi
Juſſis auſcultaſſe Meis; magè degener Illis
Et ſoboles, Alienigenas Inſana Deaſtros
Nunc ſine More, modoq; colit; Sic perfida JVDÆ
Colluvies, inceſti Habitatrix Genſq; SIONIS,
JVRA profanati temerarunt irrita Pacti,

Quod cum Horum Patribus ſancivi ab Origine Primis;
Idcircò ingenti ſuccenſus Bile JEHOVA
Sic ait; Ecce Malum, ſed & irrefragabile, nullis
Arcendum Inventis contrà Hos EGO imaginor; At ME
Si querulo Clamore fatigent, *Rebus in arctis*,
Haud tamen acclinem advertam inclamantibus aurem.

Tunc & ab obſtreperis lamenta ululantia buccis
JVDEÆ Acropoleis, atq; Incola turba SALEMI
Undique diffundent Diis tutelaribus, *Illis*
Dona Quibus crebris adolebant thurea acerris;
Sed nec inaurati poterunt ſpiſſo agmine Divi
Cultores ſervare ſuos; Tua Turba *Deorum*,
Urbiûm par JVDA eſt; Vicorum æquata frequentûm
Ad numerumque ſcatent ALTARIA (CASTRA SIONIS
O Maleſida) Illi vah conſecrata PVDENDO,
Stercoreo ut *facias* redolenti Thure BAHALI.
Mitte Propheta preces, nec voces effer inanes,
Neve tibi ſterilis ſuper His Oratio ſtillet;
Nam nec EGO inflexus votis, licet acriter *Ipſi*
Clamarent, miſeris vellem auſcultare querelis.

Quid SPONSÆ ulteriùs Noſtrâ ſit in ÆDE negotî,
Hâc mea cum multis ſcortante per Atria *Mœchâ?*
Nam Caro quæ in ſacros modo ritè inſerviit uſus,
Nunc Holocauſta means it in Extera; & Iſta reviſens
Tu ſcelera (O Pellex) animo prægeſtis Ovanti.
Olim appellavit TE NOMENCLATOR IOVA
Suavè vireſcentem foliis, Viſuque Decoram,
Spe Fructûs, Oleam; ſed enim clangente tumultu
Rauca Procellarum ferventûm in prælia, Sacro eſt
Jam tuus Igne ambuſtus apex, frondeſque caducas
Horriſono effregit vaſtatrix Turba fragore.
Nec mirum! in proprio cum Qui te inſeverat Agro
JAH Exercituum DOMINVS, Nunc, NVMINE læſo,
Detonuit tibi triſte Malum, immedicabile propter
IZRÆLIS Cacoethes, atrocem animumque JEHVDÆ,
Quem ſtudiis in ME ſunt conſpirantibus auſi
Aggreſſu exercere truci, irritamen in æſtûs

Zelotypi, accenſæque Mihi in feralia Mentis
Jurgia, ob Exoſo data Suffimenta BAHALI.

Tunc mihi *nec merito*, [*immeritæ* nec *talis* Opino
Perfidiæ] oſtendit DOMINVS Capitale paratum
Mî ſcelus, agnovique adeò, monſtrante JEHOVA,
Dira Sodalitii mihi *Deſignata* nefandi;
Innocuus ſed ut agnus ego, tantúmque *Laboris*
Bos reus emeriti, truculentam Victima ad Aram
Immunis Culpæ aſtiteram, gravis inſcius Iræ,
Conſiliique, Caput quod in *Hoc* inîêre latenter
Muſſantes; *agedum*, *Plantam cum Fruge perosâ*
Funditùs extirpemus, *acutæ acieque bipennis*
Viventûm de ſorte adimamus atrociter Iſtum,
Demus & extinctam ſimul evaneſcere Famam.
At TV Judiciique potens JAH, Cordis & Vnus
Rimator, tacitique Sinûs, adſis mihi Vindex;
Fac & in Hos videam dignas, T E Judice, pœnas;
Nam TIBI commiſſam expoſui JVSTISSIME cauſam.

Quocircà de ANATHOTHANIS *ſic* inquit IOVA,
Qui veſtræ intentant lethalia retia Vitæ,
Dicentes; *O trux Irati Præco JEHOVÆ*,
Sermones compeſce graves in NOMINE Tanto,
Nè manibus mactata occumbas Hoſtia Noſtris;
Sic Exercituum denunciat ergo JEHOVA,
En ſumam pœnas de percuſſoribus Illis;
Enſe cadet percuſſa *foràs* robuſta Juventus,
Intùs & invalidas conſumet inedia turbas;
Nec de his contigerit Quenquam ſupereſſe Sceleſtis;
Namque *Anathothanis* grave delinquentibus ingens
Inflixiſſe Malum ſtatui, cum ſcilicet *Altum*
(Cognitor) inviſam plagâ æquiparante Reatum.

JERE-

JEREMIÆ CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Luxuriat Stirps Dira Hominum, Ceſſante *JEHOVÆ*
Non languente *Manu: Vasem probat inde fidelem,*
Fœdifragis cladeſque aptè diſterminat: efflet
Deinde Prophetæ Nefas Atheorum, & in Omne ruentûm
Sponte ſeelus; licet & ſe æquis haud paſſibus Omnes
Præcipitent, ſimul *at Vi, verſicolore vel aſtu*
Corrumpunt SORTEM DOMINI, hinc corrupta pro-
pago
Exit in Exilium cum Corrumpentibus Unum.

JUſtitiâ DOMINE evinces, velim ut Ipſe protervè
Exagitare *Tuam*; At liceat Tua Jura reducto
Eloquar Ore pius; Cur exitiale Malorum
Curriculum ad Votum procedit, Pace fruuntur
Perpetuâ Capita uſque Dolis exercita diris?

TV DOMINE Hanc Sobolem plantâſti, ſed & *illicò* in altum
Se immiſit radice Solum; In Sublime levatis
Frondibus exit apex; & Fructus edit opimos
Stirps apprimè ferax; TIBI ſe *admovet* ore propinquo,
Corde recedenti *ſegregat* ſe *immanè* (JEHOVA)
At Domine, agnoſcis Me ſaltèm in Corde profundo;
Excutis exploranti oculo, præcordia tortis
Fidiculiſque probas, ſi fors tentata *potenter*
Tecum jugè aderint; dum *partim* avulſeris Illos
In cædem præſentem (ut oves *nunc* Eſibus aptas)
Diſtuleris *partim*, veſtris ut *ritè* ſaginis
Nutritas ad ſtragiferam mactaveris horam.

Cur Terræ inculti Mœroris Imagine ſquallet
Priſtina amabilitas, herbeſcens nuper & Arvi
Omnis honos marcens modò inaruit? Improba propter
Nempè Habita torum Delicta abiêre Coloni
Telluris Jumenta, Genuſque Volatile Cœli;
O ſi Homines atheos Qui eructant ore nefando,

NOSTRI

NOSTRI at DEVOTOR Finem haud in'elligit ILLE.

Vlteriùs nè tende Animis! quandò *ante pedeſtres*
Expertus luctâ evaſiſti viribus impar;
At quianàm *turmas Equitum* jam voce laceſſas
Buccineâ ad pugnam? ſi quâ Tellure putabas
Pace frui, Te lite fatigavere moleſtâ;
Quid JORDANIS ages tumidis deprenſus in undis?
Nam Fraterna cohors, etiam Majoribus orti
Et Conſanguineis tecum communibus, *Illi*
Perfidias in te, ſed & exitioſa coquebant
Conſilia, inque tuum caput eduxere vocatam
Colluviem; ſed cretatis licet alba labellis
Dent Verba, (admonitus) tamen his confidere noli.

Deſerui ingratos EGO nunc *meritóque* Penates,
Abjeci Sortem Ipſe Meam, ſuper Omnia Noſtræ
Dilectamque Animæ; ſævis nunc Hoſtibus Illam
Vltrò flagellandam expoſui; cur? nempè quod atrox
Ceu Leo concuſſitq; jubam, rictumque reclusit;
In ME etiam immanes emiſit ab ore rugitus,
Dira fremens; ergo immanſuetam Moribus odi.
Quinetiam plumis ceu verſicoloribus Ales
Reſperſa eſt Mea Sors; agite O Examina! adeſte
In maculoſa, Mea ultrices ad Juſſa catervæ,
Integra Gens Avium, ſed et agmina cuncta Ferarum;
Jamque Scopum, Diviſa phalanx, coaleſcite in Vnum,
Et Mihi devotas *utrimq;* vorate catervas.
Vinea Noſtra (nefas) Multis obnoxia, vaſtum
Ivit in interitum, Paſtoribus; Hique peculi
Prorſus opes ſtravere Mei; Inſtructiſſima nuper
Portio in exhauſtam, perque hos, migravit Eremum;
Direptam penitùs deſolavere, perennè
Et Mihi deſolata gemit; quin Integra Tellus
Horret, honore opibuſque vacans; quia Nemo ſtuporem
Diſcutit excordem tantâ experrectus ab Irâ.
Per Juga Deſerti, perque omnia teſqua, Maniplus
Plurimus excurrit prædatum, & limite nullo
Cuncta enſis conſumet edax Penetralia Terræ;
Mortali nullus de ſemine Pace fruetur.

Nec

Nec mirum, Tritici injectâ ſemente, Prophetæ
Cum tribulos retulere; accerſivere Dolores
Sponte ſibi ingenuos, nullâ Mercede receptâ
Vanæ operæ; ſed cum proventus ſedulò veſtros
Corde recenſuerint, ſuffuſos Ora pudebit
Curæ habitæ; Meſſem Re quandò *evincit iniquam*
Æſtus inardeſcens, dira in Commiſſa JEHOVÆ.

Sic ait indictâ DOMINVS Juſtiſſimus Irâ,
In *Statione* mihi *Vicinos* [*Corde remotos*]
Qui ſedem attingunt Iſræli ſorte dicatam;
En propriâ extorres Illos Tellure fugabo,
(Ipſorum è Medio ſimul ipſam exemero JVDÆ
Progeniem) fueritq; ut poſtquam ejecero pulſos
Eminùs, Officiis iterum Rediturus amicis
Palantûm miſereſcar; Avitum, quemque Reductum,
Deducam in Fundum, & Patriæ in penetralia Terræ.
Quin fueritque, Mei ſiquidem perdiſcere Cultûs
Tunc Documenta velint, ad Juramenta vocantes
Ritè Meum NOMEN, Dicendo VIVIT IOVA
SOLVS ab ÆTERNO, (quondam ut Jurare BAHA-
LEM
Diſcebant per Terriculum) ædificentur ut Ipſi
Tunc Populi in Medio Noſtri dabo; ſin minùs aurem
Præbuerint Juſſis facilem, radicitùs Illam
Gentem extirpabo, ſubvertamque, inquit IOVA.

ESA. CAP. LVIII.

ARGVMENTVM.

Geſtit inaurato præſignis Hypocriſis ore
Pulchros prætendiſſe Dolos, ſimulachraque Cultûs;
Præſumpti Flatu *Meriti* Jejunaque *turget;*
Comprimit Hos animos, Hujus cataplaſmata Mœchæ
Blandaque deterget DEVS, & Jejunia quæ ſint
Vera, *docet; ſimulata* notat *Ludibria* Cenſor;
Aſt omnes effundit opes, precioſaque Dotum
Munera in ingenuos, ſine Fuco & fraude, Colentes.

VOcem attolle tuam, & pulmoni parcere tenſo
Præco cave, neque Buccineo ſubmiſſiùs ære
Porrò tona Eloquio; populo mihi Fœdere juncto
Exprobra Hypocriticam Larvam, Domuique JACOBI
Degeneri fictæ Pietatis detege fucos;
Quanquam equidem aſſiduâ ME ritè requirere curâ,
Et Simulachra Mei ſatagant prætendere Cultûs,
JVSTITIAM quaſi Gens operata, STATVTA DEIQVE
Haud miſſura ſui, SANCTI ME inſtanter & ÆQVI
Jura rogent, DOMINI acceſſum uſurpentq; frequentem;
Cur exercemus dum nos Jejunia, Vultum
(Dicitis) implacidum obvertis; dum plectimus ultrò
Ærumnis animas, tetricis at tangeris (Eheu)
Nil magis Officiis? Cur? Tempeſtate quòd iſtâ,
Suavibus interdicti operis, reperitis aventi
Quod Volupe eſt animo, partos *ſudoreque* Nummos
Fœnore prærigidè exacto accumulatis avari.
En quo ceſſerunt Jejunia? Nonne moleſtas
In Lites, Odii ſtudia & rixoſa, ſub illâ
Liberiùs ſpecie pugno Improbitatis iniquo
Contuſos Fratres ut ſugilletis? At O VOS
More dehinc (quo jam) non jejunabitis ultrà;
Scilicet obſtreperam *Ritu* faciatis ut *iſto*
Vocem exaudiri Solium Omnipotentis ad altum.
Ergo *Mihi electum* placet *Hoc Jejunium*, (Inepti)

Nempe

Nempe Dies Animam Quo Quis conſternat, Humoque
Demittat Caput obſtipum, velut alga reclivis,
Induſiumque ſibi Cilicinum inſternat, & infrà
Suppoſitos Cineres? Quod jejunatis an Hoc eſt!
Scilicet Hanc Lucem DOMINO acceptamne vocetis?
O Veri ſteriles! annon magis *Iſtud* amavi
Dilectum imprimis *Jejunium*, Iniqua ligatis
Solvere vincla *Reis*, aſtrictaque Pondera loris,
Demere *Defeſſis* Oneroſa, Tyrannide preſſos
Lento è Servitio dimittere, frangere quodvis
Germanâ Pietate jugum? Quid! Nonne labantes
Eſurie recreare cibis; propriis & abactos
Sedibus Extorres, in Veſtri inducere Tecti
Gratuitum Hoſpitium; nudum, ſine Veſte rigentem,
Palliolo munire tuo, tecum nec *eodem*
Averſari inopes *Carnis velamine* tectos?
Indè tuæ Lucis tenebras diſruperit ortus
Erutilans ceu Mane novum, Stirpſque alma SALVTIS
Maturabit opes, properaſque excludere gemmas.
IPSA tibi niveas Ductrix antè ire phalanges
Geſtiet ALTA THEMIS, trepidos radianſq; per Hoſtes
Extremum DOMINI tibi GLORIA colliget agmen.
Tunc facilem Votis aurem placatus amœnis
Flexerit Omnipotens; Clamanti edixerit, *En ME! Adſum alacer*; Medio ſi Pectore *triſtis* Amorem
IPSE *Jugi* abſtuleris: *gracilis* truculentaque motum
Vel Digiti ad Commiſſa, *meræ* & tectoria *Linguæ*;
Quinetiam macilentæ Animæ ſi Dulcis Alumnus
Affectus tenero expromas de corde benignos,
Srrigoſoſque Fame ſatures, Veſtrâ Penu, Egenos;
Tunc tibi funeſtæ picea è caligine Sortis
Sol ſtatim approperans ſurget, mediaſq; ſub umbras
Noctis inaſſuetæ, tibi Fulgor ab axe diurnus
Exſiliet; te Paſtor aget namque IPSE JEHOVA
Juges in ſcatebras, ſitientiaque ora fluentis
Proluet irriguis; geniali Vligine reddet
Oſſa Tibi impinguata; & ut ubere Fontis opimi
Hortus aquatus eris, Scatebræque ſimillimus *Ipſi*,
Cujus aquæ nullâ tibi tempeſtate peribunt:
Et *Tua* poſt multos, ſeclis volventibus, annos

Poſteri-

Posteritas labes fausto molimine priscas
Restituet, *per Quam* longè anterioribus ævis
Fundamenta caduca levabis *posthumus* Author.
Indigenisq; clues fremitu acclamantibus alto
CVRATOR RVPTVRÆ, aptosque meantium in Vsus
Qui multo obstructos aperivit rudere calles.

Si abstineas inferre pedem in *MIHI debita SOLI*
SABBATHA, nec tibi *pro libitu*, *Quod concupis ipse*,
Stet fecisse tuis *alieno Tempore* Curis;
Verum habeas grandi in precio, *Augustumq;* JEHOVÆ,
SACRVM Intervallumq; voces; sanctè ILLVD honorans,
Haud privas peragendo operas, nec avendo nefasto
Quod desiderio placeat, Verbumve loquendo
Tempore Sacrato indignum, Tum porro JEHOVA
In PATRONO Animâ pius exultabis ovanti,
Atq; excelsa dabo tibi Propugnacula Terræ
Sublimi exuperanda pede, efficiamque JACOBI
Sorte fruare PATRIS; Dixit namque ista JEHOVA.

HOSEÆ Cap. VI.

ARGUMENTUM.

Vero adeò simili respiscere more videtur
Splendida *Frons IZRAELIS, & Os* spectabile *JUDÆ;*
Verùm, Hærente DEO quid agat, se in Nubila solvit
Utrarumque *levis* Pietas: *Cæcidit* IOVA
Hinc Gentem ambiguam stricti Sermonibus Oris,
Quod Rationalem *in* Brutum *convertere Culpam*
Reclamante DEO satagant, & Fœdere rupto,
Quilibet in quæcunque piacula corruat Ordo.

QUin agite O Socii ad Dominum redeamus IOVAM.
Perculit Indomitos? Medicinam & conferet Ægris.
Vulneribus secuit? plagasque adducet hiantes;

Post

Poſt Soles geminos, redivivos eriget Vmbris;
Tertius in plantas erectos viderit Ortus;
Tuncque (*Scientifici*) DOMINVM agnoſcemus IOVAM,
Aſſiduâ inſtemus ſiquidem Hunc cognoſcere Curâ:
Auroræ *Exitui* radiis Creſcentibus aucto
ILLE *Suum* æquiparat, vobiſque optatus ut Imber
Defluet, (ut Plantis imber Serotinus) *Ipſâ*
Tempeſtate Solum humectans aſpergine lætum.

At tibi quid facerem trepidanti affectibus *EPHRÆM*?
Qui Fidei tractem te vacillantis IVDA?
Nam præ Sole liquens veluti ſe ſolvit oborto
Nubes matutina, & Ros primoris EOI
Prima fugit (decuſſus) apricæ ad Tela Diei;
Hâc profugus Pietatis Amor fugit *impere* veſtræ.
Ergo per indomitos EGO verbera ſæva prophetas
Stigmatico inflixi Populo; quin Oris acutâ
Enſiferique acie cæſos hinc indè recidi.
Et MEA funeſtis, ceu lurida Fulgura, flammis
JVDICIA emicuere. Animi MIHI namque litandum
Eſt Candore pio, haud plenâ thuris acerrâ;
Agnitione DEI, haud Holocauſtis Igne cremandis.

Aſt Hi (*tanquam Hominis*) non ambegere JEHOVÆ
Fœdus diffregiſſe, modiſque (IBI) SACRA pudendis
PERFIDA confinxiſſe, MEIS Aliena Statutis.
Fœdificus Gilead (Monumentum Inſigne Favoris
DIVINI) nunc METROPOLIS famoſa ſceleſti
Facta Sodalitii, maculis & ubique cruentis
Altiùs intincta eſt: *Ibi* conjuratio atrociûm
Dira Sacerdotum, inſidiis intenta profundis,
Invigilant cædi infandæ, (ratione *SHECEMI*
Turpiter everſi) Scelus in Sociale nefaſque
Conſentire alacres: Horrendum prorſus & ingens
FLAGITIVM Conſpexi; EPHRATÆI nempè *Patrantis*
MOECHATV *Vnius*, *Solidum* traxiſſe REATVM
IZRÆLEM; TIBI quin Ephratæum JVDA per Illum,
Sementi in ectæ ſeges orta ſimillima crevit,
Agmina [ab EPHRÆMO] MEA cum *vitiata* reduxit.

Zach.

ZACH. CAP. XI.

ARGVMENTVM.

Poſthabitum ob CHRISTUM vili precioque Macello Expoſitum; IZRAELI clades ſonat Iſta tremendas Concio: Nempe ſtatæ Fundamina verſa Columnæ, Indultaſque Propheiæ Opes (Fulchra aurea CVLTVS FORMOSI) exciſas abruptaq; Vincula Pacis Ambiguæ Genti; *tamen hoc in Turbine Rerum PASTOR FIDUS Ovos, Deſerta per arida, egenas Curat; at Upilio Maledictus Ovilia ſperuit.*

LIbane pande fores, præmunitique pateſcant
Nunc aditus, paſsim ut populator Saltibus Ignis
Horriſono accenſas pervadat turbine Cedros.
O Abies, ruituram in *odora* incendia Cedrum
Plangito, *proceraſque* ſtrues, proſtrataq; Sylvæ
Robora; Vos, Fruticeſque Viciſſim Flete caducas,
Magnificæ Quercus *Baſchanis* de quibus olim
Spiſſus erat vobis reditus, Vindemiaque uber.
Paſtorum O lamenta! decor quòd priſtinus illis,
Gloriaque exciditur (Pecoris ſtipatio denſi)
Proh fremitus per Teſqua Tyrannorumque Leonum!
Nempe quod *His* JVDÆ. *(Iordanis limite clauſæ)*
Turgidus interiit faſtus, diveſque ſupellex.
Sic ait ergo mihi DEVS, & PATER, IPSE JEHOVA;
PASTOR Fide, Neci devotas paſce bidentes;
Carnifices Domini *inſonti* quos cæde trucidant
Scilicet; exindè &, pactâ Mercede, macello
Sortis in augmentum ſtudio licitantur avaro;
Horum at Quiſque licet, *QVI me ditavit IOVA*
Sit Benedictus, ait; Tamen Vpilionibus ex his
Non eſt languores Ovium Qui leniat ullus.
Ergo nec IPSE ultrà Terræ miſerebor iniquæ
Nequam Habitatorum; peritura ſed agmina tradam
Fratri Quemque ſuo in prædam Indigenæque Tyranno,
Plagoſam aſſiduo obtrundent Qui verbere Gentem;

Nec

Nec percuſſorum Hanc manibus prohibebo cruentis;
Aſt (moribundum Agmen) jugi vos pavero Curâ;
Vos adeò tenues Animas de paupere cœtu.
Munus in hoc binas viſum eſt Mihi ſumere Virgas,
Vnius edixi, Nomen SPECIOSA vocator,
VINCVLAQUE alterius; pavique his (Paſtor) Ovile;
(*Cura ovium pernox Clades EGO dira Ferarum*)
Pſeudoque paſtores, præciſo Tempore, ternos
Confeſtim excidi (Cuſtos gregis acer) acerbo
Oſus eos animo, pariterque peroſus ab illis;
Quos ità depulſos affabar; non Ego motos
Vos caulâ agnoſcamve, *Greges* paſcamve rejectos;
Deficiat moritura, & Pars perdenda *repentè*
Diſperdatur; at in Vivis ſupereſſe deinceps
Queis datur, harum unam alterius corrodere carnes
Invidiæque odiique irritet dira cupido.
Tunc Virgam infregi (juſtâ ſuccenſus ab irâ)
Hanc paſtoralem SPECIOSAM Nomine dictam,
Fœderis Indicium caſſi, Fideique refixæ
(Nequicquam MIHI depactæ (*per ſæcula*) quondam
Fœdi.ragis iſtis cum Gentibus:) Irrita ab illo
Tempore cumque fuit ſtipulatio, Lumine fixo
Qui ME ſpectabant Tenues de paupere cœtu,
Verbum agnoverunt Ultoris id eſſe JEHOVÆ.
Nam prius (Orator) multis Sermonibus Vrgens
Sic utique inſtiteram; Curæ MIHI præmia Noſtræ
Quin date ſi libeat, Poſcenti; ſin minus (O Vos)
Veſtram in perniciem vel adhuc deſiſtite; Suadâ
Sed Noſtrâ averſi, Prodenti ME hoſtibus *Illi*
(Mercedem infandæ proh Traditionis iniquam)
Triginta appendunt Denaria; deinde JEHOVA
Mî dixit; Figulo ponendos projice Nummos,
Magnificum precium quo tunc cenſebor ab illis!
Proieci ter dena Numiſmata (Juſſa capeſcens)
Conſcia tunc in Tecta DEI, Fictoris in uſum;
Succidi indè meam dictam Mihi VINCVLA Virgam
(Bile calens) initi facerem ut divortia Pacti
JVDAM inter, reliquamque JACOBO de Patre Gentem.

Quin age, Paſtoris maleſani cingier armis

Porrò velis (renovans inquit Mihi juſſa JEHOVA)
Nam Tellure Egomet faciam exoriatur ut iſtâ
Upilio nihili, Errabundas viſere *ſcævus*
Qui renuat pecudes, teneramque requirere ceſſet
Callis inexpertem recti; Inſtaurare recuſet
Delumbem *immanis* feſſam languore Vieto
Bajulet haud humeris, comedat Balantis obeſam
Altilis at pulpam, *invalidis* perrumpat & ungues
Præ Macie imbelli mediis ceſſantibus agris.
Væ fungo prorsùs Paſtori, ipſique datarum
Deſertori Ovium; diſtrictus Mucro *lacerto*
(Vltor ſævitiæ *Dextro* ſed & ejus *Ocello*
Directo ingruerit libramine; deſuper ictus
Concidet & caſsâ penitùs Virtute lacertus,
Cœcutiet nigris oculus Dexterq; tenebris.

PSALMUS 82. *& pars ESA.* CAP. LIX.

ARGUMENTUM.

JUDICUM Epopta choris DEUS aſſidet; Increpat indè
Furidicos (*Iuris Peſtes*) *& debita ſuadet*
Officia Ingenuis; *feralia Damna figurat*
Ordinis Inſciti, Inſanique; ÆQUIQUE patronos
(Vix) *paucos queritur; ſtudiis ſed inanibus ægros*
Pleroſque intendiſſe animos, Diriſve malignos;
Hinc Res in pejus ruere; Et Nil ferre Salutis
Curam Hominum Invalidam; tulit Illam Sola & EHOVÆ
Dextra, DEOSQUE ſtylo *inſigni vovet IPSE rutnæ.*

Pſ.82.V.1. ECce DEI in cœtu FORTIS ſedet IPSE JEHOVA,
Lataque Judicio caſtigat Scita repenſo.
2 Quouſque (ait) O ſtudio, dices JVS triſte nefando,

Præ-

Prælati in Partes & *propendebis* INIQUI
Empta *Manus* precio? *V.*3. Heus! inopem defende *Relictum*,
Aſſere JVSTITIAM, miſeri TVTELA Popelli;
4 Vim depelle trucem invalido tenuiq; Clienti,
Hnnc violentorumq; rapacibus eripe Chelis.
5 Deſipiunt *Scioli*, non advertuntve *Supini*,
Affectatus Eos Amor aut Caliginis atræ
Tradit in Errores, & Devia, Luminis Orbos
Cœliſlui, licet uſque (Nefas) ſtertentibus Ipſis
Proh labefactatis nutet RES PUBLICA Fulcris.

*Eſa.*59.*v.*4. Juſtitiæ in patrocinium experrecta laceſſit
Nemo ſtrepente ſono Subſellia, nec Gravis Actor
VERI in ſubſidium facundo ediſſerit ore:
Quiſque Rei *Nihili* incumbens, *Vanumque* locutus,
Vaneſcitque Ipſe; obnixo ÆEVMNASQVE Labore
Parturiens, partu *Figmentum* excludit inani;
5 Dira Hæmorrhoïdum vitalibus Ova ſub alis
Ecce fovent; caſſas texunt, ut aranea, telas;
Qui de Lethiferis comedit morietur ab ovis;
Quod ſi aſperſus erit ſævi *modò*, tabe, Veneni,
Perfuret, irrumpat rabido ceu Vipera Morſu.
6 Conficient Veſtes ſallentia ſtamina nullas,
Sed nec *inutilibus* calefient Corpora penſis;
Nam ſe operis prorſus nil proficientibus angunt,
Actu & continuo (certatim Exercita) Vtrique
7,8. Vis manui concrevit atrox; *ſimul* ocyus Omnes
In commiſſa ruunt properantibus improba plantis,
Sanguineam inque ſitim præceps feſtinat Orexis,
(*Sanguinem in inſontem*:) tantum concepit iniqua
Colluvies nam Conſilia, & Contritio diris
Aggeribus, crudo comeans Vaſtatioque ore,
(Extrà ÆQVI JVRISQVE Vias ſignaraque Pacis
Curricula) effuſim per Compita dira feruntur,
Fortuitò ſine Judicio, ſine mente vagantes.
Depravati adamant ſinuoſa Volumina tractûs
Diſtorquere ſibi: Illorum quicunque Viator
Callibus inſiſtit Pacem non ſentiet ullam.
14 Sic JVS abſiliit retrò; procul abſita longo

JVSTITIA & ceſſans elanguit intervallo;
In mediis jacuit VERI & calcanda platæis
SIMPLICITAS, atq; Vrbe vagum diſcluditur ÆQVVM.
V. 15. Heu profuga à *Cunctis* Terræ THEMIS exulat (oris,
Riſui & exponens ſe, dementire videtur,
Infando abſtinuit Qui Crimine: Vidit IOVA
Zelotypus, piguitq; MALI ſine more reſuſi,
JVS Populo nec planè ullum ſupereſſe maligno.
16. Circumagenti oculos cum jam Paraſtata nec ullus
Præſtò in ſuppetias, aut INTERVENTOR adeſſet,
Vidit & obſtupuit, Solidam EJVS & *VNA* Salutem
DEXTRA ſibi, & validas dederat THEMIS *inſita* vires.
(Iniqui,
Pſ. 82. 6. Verùm O JVRIDICI, quod Vos nunc ſpectat,
Dixeram, (ait DOMINVS) pridem *Dii ſcilicet eſtis*
(*Officio*) EXCELSI tradux *Omneſque* propago.
7. *Nunc ait*; At moriere DEI conſeſſilis ORDO,
More Hominum, Exitiove *ruenti* PRINCIPE digno.
8 Quin jam ex'urge DEVS, Terræ da Jura nefandæ,
Nè TVA *Jure* Omnē fuerint cum REGNA per ORBEM,
Regnandi TIBI *Sors* HÆREDI intercidat IPSI.

EZEKIELIS Cap. XXXV.

ARGUMENTUM.

Narrat Idumæos Index hæc Pagina motus,
Cauſasque atque Modos, gravis Eventumque Duelli.
Semina priſca Odii & traducta à ſtirpe Simultas
Hanc rabiem peperere, Faceſque *dedere Furori*
Graſſanti, atque avidam Fraternæ Stragis Orexim:
Sed deerat Fortuna; animadvertebat in Iras
Nam Læſus DEUS Ipſe *truces,* propriiq; perennem
Pernicicm Populi rabidis *prædixit, & agri.*

FIli Hominis Montem obverſus ſpeculare *Sehiris*,
Fatidicique Stylum contrà Hunc diſtringe Palati:
Dic Illi increpitans; Dominus ſic inquit IOVA;
En EGO te adverſus feror, O petroſa Crepido,
Infeſtam-

Infeſtamque in te protendam (Perfida) Dextram;
Finibus uſqueadeo ut MIHI *Deſolatio* totis
Efficiare; Vrbeſque tuæ, ME Authore, Superbæ
In loca ſenta ſitu, & ſquallentibus invia dumis,
Civibus orbatæ cedant, tantumque Receſſus
Solivagis fias animalibus; atque tremendis
ME ſic ſuppliciis *ſaltèm* experiere JEHOVAM.
Per Te nempè ævis *ſteterant* quòd abuſq; vetuſtis
Natales Inimicitiæ; *Hocque* impete totâ
Nunc agis, *Extremis* ut ſtirps *Abramitica Rebus*
Vulneribus transfixa, per Omnes hauſta canales
Effluat (expirans) aderit cum Meta peractæ
Nequitiæ; Idcirco dixit (SI VIVO JEHOVA)
Teq; etiam in ſtrages, Te (Sanguinolenta) parabo
Continuas; greſſuſq; tuos ſine Fine Cruentis
Greſſibus incumbens Nemeſis poſtica prehendet;
Nec, (quia profluvium haud odiſti ſanguinis) ILLE
Ceſſabit te *Crude* ſequi; Mons namque Sehiris
Curabo ut fuerit mera Depopulatio, & unum-
Quémque Viatorem, vacuâ de Sede recidam:
Complebo acclives denſoq; cadavere Montes,
Et colles faciles, Valles & ad Ima jacentes,
Flumina perque imas ſubterlabentia Valles;
Inque locis horrenda cadent Spectacula cunctis
Cladibus Omnigenis *Te* perpetuiſque vovebo
Oppidaque evertam Curâ haud reparanda Secundâ;
Luſtrabitque omnem Vaga Deſolatio tractum;
Quod Vos (ſacrilegi Raptores) Voce prophanâ
Edixiſſe (*Nefas*) auſiſtis: *Jam Mihi cedet*
Gens Gemina Hæredi; ſed & HÆC interfuit *IPSE*
Cui REX imperitans Sublimis ab Arce JEHOVA;
Propterà Dominus, NE VIVAM, dixit (*ab Alto*)
Nì jam reſpiciens EGO, veſtræ Exemplar ad iræ
Invidiæque trucis (Quam Tu præ Mentis acerbæ
Diro odio erga Iſtos ſtrinxiſti) etiam IPSE *viciſs im*
Te ritu tractâro pari, quò agnoſcar ab Illis
Veracis Fidei DEVS, ut Te plexero *Sontem*;
Zelotypumque adeò ſic experiere JEHOVAM,
Livide; MEQVE tua arrectis Opprobria dudum
Accepiſſe, Quibus modo Montibus iſtis

IZRÆLIS, male dixisti (insectator amarus)
Dicendo, *Eia, jacent juga desolata JACOBI,*
Nobis traduntur libitu abjumendaque Nostro:
Hæc in *ME* tumidâ efflasti convitia buccâ,
Spurcaque de pleno effutisti scommata plaustro;
Quin scieris Voces ME persensisse nefandas.

Sic ait Ipse JEHOVA, prout lætatur *Idumes*
Integra nunc Tellus, ità mox *deterrima Gentium,*
Funditus in vastas te circumquaque ruinas
Stravero, lætitiæque tuæ exultantis ad instar
(Quam desolatâ JVDÆ de Gente maligno
Concepisti animo) Nemesim mox ritè remensam
(Librator Verus) tibi lance rependero justâ;
Tuque *Sehiris* Mons, Ditio sed & omnis *Idumes*
(Quam spaciis latè IPSA pates) Vastatio fies
Nobilis, ut totum agnoscar quâcunque per Orbem
Robore terribilis, Reverendus Jure JEHOVA.

EZEK. Cap. XIII.

ARGVMENTVM.

Vatidicas Fraudes, Venalis & Agmina Linguæ
Hariolos, POPULO Qui quod foret Utile Sancto
Celantes, proprii exponunt pellacia Cordis
Plasmata, Veraci Jussu Sermone Prophetæ
Increpat; infaustis & digna stipendia Curis
Promit ab Ore DEI, inflataque exindè SYBILLAS
Aggreditur, Quæ blanda Typis Oracula signant
Mollibus;* Has *terret*, non vano Phasmate, *Vates.

FIlli Hominis, Solymæ adversùs te accinge Prophetas
Pseudoprophetantes, Quibus est *sua dira Voluntas*
Mensque DEVS *propria*; His, *privato abstinite sensu,*
Dic agè, *Fatidicique audite oracla IEHOVÆ.*
Sic ait Ipse DEVS, stolidis væ vatibus, ægri

Qui

Qui ſpecies crebri, proprii & Phantaſmata Cordis
Sectantur, nec habent Divini Luminis hilum.
O POLLENS VIRTVTE DEI! Veſtri ecce Prophetæ,
Indole, convictûs referunt & imagine Vulpes,
Qui rabidi, Eſurieque, dapiſque Cupidine forti
Per loca deſolata, & teſqua famelica, (prædæ
Vel minimæ attenti) ſtomacho latrante vagantur.
Proh dolor! haud labes vel conſcendiſtis ad ægras,
Aut impugnantem Vallum obtendiſtis in Hoſtem,
Ut Populi Fortuna DEI, & DOMVS Alta maneret
Illo infracta Die, Solymæ quo, Turbine Belli,
Fundamenta probet: Quid at hi contrà? Ilicet aureo
Spes recreant fragiles phantaſmate, & impete fictâ
Proſpera divinant, & reſpondentia Votis
Condixiſſe DEVM referunt. Cum Munus in iſtud
Hos DEVS haud miſit, *Stolidis* tamen Ore *Sereno*
Spem faciunt Facturum Ipſorum Effata JEHOVAM.
Dicite Mangones, annon Vos futile Viſum
Vidiſtis, Populo reſponſaque Vana dediſtis
Illuſo, quando iſta DEUM Commenta locutum,
Dicitis; IPSE *Planis* licet haud ſim omnino Locutus?
Idcirco Rerum Dominus, DEVS atque JEHOVA
Sic ait Edicto ſtabili; Exaudite Prophetæ;
Futilitatem adeò quoniam Effutîſtis inanem,
In Commentitiis ſpectaſtis Falſaque Viſis,
Propterea ME fucatis *en* artibus hoſtem
Obnixè oppoſitum (Dominus Rerum inquit IOVA)
Mox etenim Noſtræ demiſſæ in Verbera Dextræ
Agnoſcent molem, & pœnas MIHI (Crimine dignas)
Solvent Hi fraudis viſæ, Erroriſque Prophetæ.
Scilicet *Eximii* nec erunt in *CORPORE Cœtûs*,
Nec *TABULIS* in *Secretis*, *CENSUQUE Meorum*
Conſcripti; venient nec in *Oras SORTIS Amœnæ*;
VLTOREM (mala gens) *ſic* experiere JEHOVAM.
Et meritò; quando inſidiis fallacibus arctam
Obſedere Viam, ſeduxerunt in Amœna
Et diverticula, Hunc Populum MIHI jure dicatum,
(*Sponte* acclivem, *in Blanda*, nimis) dum dicere perſtent
En PACEM afferimus, cum Pax His nulla ſuperſit;
Maceriem Illorum Quidam Faber urget ineptus;

Accurrunt Reliqui, & malè tritâ calce, lutoq;
Insteruunt opus Ecce *novum*; Insternentibus ergo
Cœmento insipido Dic *at Casurus inanis*
Est paries; Hunc proluerit densissimus imber,
In *Nihili* & Fabricam immani Vos mole cadetis
Grandinei *lapides*, Cataractis quassaque crebris
Dissiliet Moles resoluta, trahetq; Ruinam
Præcipitem: at vobis annon (cum jam *ecce* Caducus
Corruerit paries) Fabris dicetur ineptis,
Ast ubi *jam* Muro cœmenta instrata ligando?
Quocircà Dominus Rerum Fonsque Ipse JEHOVA
Sic ait; immò *EGOMET* per ventos atque procellas
Turbineas, opus evertens Murale, furorem
Exequar IPSE meum; Nostræ quoque Conscius iræ
Continuò ingruerit superundans Imber, & actæ,
Grandinis *è flexâ* lapidesæ *Nube* Sagittæ
(Æstûs tela MEI) in Labem casti Aggeris ibunt:
Sic Quam firmasse intritâ voluistis inani
(Artifices stolidi) Molem demoliar, ipsum
Inque Solum prosternam, adeò ut retegatur ad imam
Funditus usque struem; Quâ perlucente ruinâ
Irruet ira DEI, medioque ardebitis igni,
ME Vltorem *Hâc* scieris, Gens execrata JEHOVAM.
Sic cum æstum animi jam consummavero crudi
IPSE super Murum, necnon super insipientes
Tectores, qui calce illum obduxere lutoque;
Tunc opus eversum irridebo Hoc Scommate, *Papæ!*
Disperiit Paries, nec Qui texere supersunt;
Scilicet Hi Solymæ Vates, qui *pro* Vrbe rebelli
Divinant, super Hâc fœlicia Visa tuentes,
Et Pacem stabilem spondentia, Pax ubi nulla
Competit Horum Actis vel *Sensis*, inquit IOVA.
Tu quoque fili Hominis Vultum, vocemque severam
In Populi indigenæ Natas obverte, *Protervas*
Pseudo-prophetissas, Animi privata spuentes
Sensa sui; contrâ *has* tu vaticinare Propheta;
Dic age sic inquit, (Rerum Fens) Ipse JEHOVA.
Væ genti, væ Fœmineæ (Textricibus astûs
Perfidi) ad axillas *ritè* affigentibus Omnes
Assutos lapidè *pulvillos* (*Symbola Pacis*

Continuæ

Continuæ) atque omni Capiti cujuſque ſtaturæ
Tegmina adaptata imponentibus (*Palma Salutis
Ecrypa*) ut his technis, animas ſpecioſa ſtupentes
Ad Signa, in caſſes teretes venentur adactas.
Scilicet O Sceleratæ Animas venamini ipſas,
Noſtrati in populo; dirâ ſed fraude, *volentes*
Retibus involvi ſartas tectaſque fovetis.
Quin Nomenque Meum, vili quaſi vilius algâ,
Projicitis, Populo Vænumque exponitis iſti
(Nequam Inſtitrices) ob Farris fortè pugillos,
Panes dimidioſve, aut fruſtra minutula; Ductæ
Mercibus His, Animas Mortique addicitis *alias*
(Si Precio abſtineant) Necis aſtrictaſque Reatu,
Si precium appendant) Vivas ſervatis (iniquæ)
Effricta effiando Mendacia ab oribus emptis
Deluſam ad Gentem, fictis nimis artibus aptam.
Idcirco Rerum Dominus, DEVS atque JEHOVA
Sic ait; Ecce Hoſtem in veſtros ME prorſus acerbum
(Deſuper) invectum pulvillos, Vos quibus *iſtic*
(*Vel noſtrâ in Ditione*) Animas in retia blandis
Artibus illectas, mox in Floralia (putres)
(Turpe in Servitium *Vobis* abducitis; Illas
IPSE ſed aſſertas veſtris lacerabo lacertis,
Dimittamq; animas, inhoneſtâ indagine, Quas VOS
Nequam Agitatrices *molles* pepuliſtis in Hortos,
De Capite evellam pellacia Tegminaq; omni,
Expediamq; dolis Populum per Luſtra vagantem;
Prædæ opportunum, & diris Venatibus actum;
Pellaci malè nè pereant molimine capti;
Eſſronſq; Vltorem Gens experiere JEHOVAM.
Commentis quod Sacrilegis triſtaſtis (acerbæ)
Cor *Juſti*; haud volui quod luctu obtundier ullo,
Injuſtique manus malè confirmáſtis amœnis
Eloquiis, vetito vellet nè abſcedere tractu,
Fallaci inſidam dum dicitis ore Salutem;
Quin faciam (vafra gens) nè ſis phanatica poſthac
Somnia viſura, divinaturave, *Fraudes*,
Ceu Res *oſtenſas Divinitùs*: Atqui EGO Veſtris
Illecebris Populum Eripiam MIHI fœdere junctum,
ME pœniſque (Effrons) Validum experiere JEHOVAM.

ESA.

ESAIÆ Cap. I.

ARGVMENTVM.

Teſtatus Cœlorum Ignes, & Conſcia Terræ
Pondera, Progeniem ingratam, rabiemque ruentem
Pronè in Apoſtaticam, elato DEUS exprobrat Ore
Sed nec blanditiis, Ferulis adeove retactam
In Meliora; ait in putidam migraſſe SEDOMAM.
Nec Quid Hypocriſeos Larvam prodeſſe ſceleſtis:
Deinde Fugam PRAVI, RECTIQUE inſpirat Amorem
Ancipiti Suadâ *Quibus Obnitente Rebelli.*
Pellicis Os, Moreſque (heu quantum diſſita Primis?)
Imputat, Eloquiis e mollit at aſpera lætis,
Divinâque Minis Promiſſa interſerit arte.

ÆThereæ Tabulata Domûs, projectaque Terræ
Machina, in ambiguâque habitantes ſede Coloni,
(Attoniti) auſcultate querenti *indigna* JEHOVÆ.
En EGO Progeniem ſtudio, ſine fine, paterno
Ingratam enutrivi, in adultos (Altor) & annos
Creſcentem evexi, quæ à ME ſine More rebellis,
Proh ſcelus! abceſſu deſcivit *perfida* turpi.
Quanquam adeo ſtupidus Bos curam agnoſcit herilem,
Commeminitque excors præſepis herilis Aſellus;
ME Benefactorem cupiunt *delere* ſed *iſti*,
Nec memoranda Mei reminiſci curat amoris
Officia, *IZRÆLIS Sancti ſtirps degener*, aut ME,
Noſſe ſtudet, Mea Gens, Brutis grex ſegnior ipſis.
Vah Gens peccatrix (Vitiorum Mole laborans)
Tabificum Semen, Corruptrix Natio Recti!
A tutante palam retrò abceſſere JEHOVA
Nec SANCTVM IZRÆLIS, talo irritare protervo
Ceſſavit Gens retrograda, à Rectâque recedens.

At quianâm Vobis, ferulis revocantibus, ultrà
Certem Immorigeris? Ruinis progreſſibus altis

Proni

Proni in apoſtaticam rabiem, nec jam ulla Salutis
Spes ſupereſt: Totum caput (en) Epidemica Peſtis
Corque hujus Populi invaſit; ſed & *Utraque* ferreo
Torpore obriguere, Neciſque, *gravata* propinquæ
Prævia ſigna ferunt; Summo de Vertice ad imas
Vſque pedum plantas, dirum liveſcere fœdis
Omnia vulneribus, tumice integrumque frequenti
Obduci Corpus, vomiciſque latentibus Vri
(Pure inflammato diſtentis;) haud grave Virus
Elicit Alma Manus, preſſâ aut Quis lenit Olivâ.
Veſtræ ſtratus Ager jacet En Ditionis Opimus,
In Cineres dedit Acropoleis populator & Ignis,
Atque Alienigenæ, Vobis ſpectantibus. ægri
Jampridem abſumſere & Opes, & Edulia Regni.
TOTAQVE mox fuerit (peregrinis hauſta Maniplis,
Civibus & viduata) INGENS VASTATIO; & alti
Filia *Tzijonis*, ceu ſtructa Taberna (ſuperbæ
Vineæ ad excubias) ſpretum aut Mapale locatum
Clauſo Olerum in vacuo, linquetur inanis, ut Urbes
Ad quarum Obſeſſas ſtat Deſolatio Portas.
REX ni Exercituum *miſeris* voluiſſet atroci
Relliquias ſupereſſe breves à Clade redemptas,
Jam Sodomæ prorsùs deletæ eſſemus Imago,
Sive Gomorrheæ monumentum Inſigne ruinæ.

Magnates Sodomæ, Sermonem audite JEHOVÆ;
Imbibe Dicta DEI Populariſ turba Gomorrhæ;
Quò ſtrages pecudum, numeroſa Chariſtica, Sacro
Atque Adipata Igni fumantia, Quò Mihi Sumptus
Hoſce, JEHOVA inquit? Satur extis Ariêtum opimis,
Pinguibus evaſique Offis; libamine fuſo
Sanguinis Hircorum, electarumque Bidentum,
Sive Juvencorum Mea non recreatur Orexis;
Quando incurvatum (Coram) ad Sacra-ſancta Sionis
Atria, Cultores, (ficatâ Fronte) venitis,
Hæc Quis at Officia, Oſtentatrix turba, *ſupinis*
Quærit in obſequiis, has Religionis & umbras?
Fictitios apagè at Cultus, Holocauſta faceſſant
Aris vana Meis, nec inutile pergite Munus
Suſpendiſſe Tholo; Thuris ME nauſea cœpit,

Suffituſque

Suffituſque *meri*; dum ſub Novilunia vos, vel
Sabbatha, conventus ſacros, cœtuſq; vocatis.
At non velatam ſub pallio Hypocriſin iſto,
Cordis EGO INSPECTOR potero tolerare; caventur
Munera quantumvis *Civilia* Solibus iſtis.
Nil minùs exodi Novilunia veſtra, ſtatorum
Scœnica Feſtorum & Solennia; triſte gravamen
SPIRITVI incumbunt Noſtro, QVI pondere laſſus
In Vos nunc impinget onus: Si quâ ergo ſupinas
Subdola Gens mihi fortè manus porrexeris, Ipſe
Detorquebo oculos; Iterata Oratio quando
Effluet *afflictis*; haud pronam elargiar aurem,
Sanguineum quod utræque Manus traxere reatum.
Emaculate, lavate Manus, viruſque malignum
Demite de Factis, *ME Coram*; Abſiſtite pravis
(Morigeri) Admiſſis, Geſtis incumbite rectis,
Quærite Juſtitiam, Oppreſſum ſubducite Damnis,
Pupillo tenui Jus procurate, Relictæ
Perverſam inſtaurate Dicam, (*Sacra Juris Aſyla*)
Sic & adeſte Boni; ſed & excutiamus amico
Jus interloquio; Hæc vobis præſtantibus, IPSE
Spondeo, ut ut Tyrio Peccata *profundiùs* Oſtro
Veſtra Mihi erutilent, eritis Salmonis at albâ
Præ Nive Candentes; rubeant rubicundiùs Ipſo
Murice, at ablutos vincetis ſmegmata floccos.
Si conſentieris placitis, Mea Juſſa capeſſens
(Mi Populе) *Eximiæ* Bona provenientia Terræ
Securus comedes; ſin Præcepta aure retortâ
Declines, cervice Jugum excutiaſque rebelli,
Tunc Gladio (ut par eſt) citò conſumeris edaci
E Tellure Bonâ; Nam ſic ait Ipſe JEHOVA.

Quomodo Conjugii modò Fœdere caſta fideli
METROPOLIS, *vice degeneri*, nunc Perfida Mœcham
Ceſſit in infamem! Has quondam compleverat Ædes
Fas fusim exundans, Hoc & jacuiſſe cubili
JVSTITIA incorrupta olim, PIETASQUE ſolebant;
Nunc ibi Raptores, Percuſſoreſq; cruenti
Omnia corrumpunt; Tua Vena argentea viles
In Scorias abiit, præterfluo & amne Meracum

Nobile

Nobile diluitur; Spoliatrix Claſſis atroces
Fiunt Magnates, Prædonibus atque Sodales
Funeſtum invadunt iter, impermiſſaſve blando
Aucupio affectant-malè Munera; Quiſque pudendas
Mercedes (impunè rapax) ſibi captat; at orbi
Pupilli haud curant jus dicere, Cauſa Relictæ
Nec (*precio conductum*) Horum venit ante tribunal.
Ergo Exercituum DOMINUS DEUS IPSE JEHOVA
IZRÆLIS VINDEX validus, ſic detonat Ore
Tandem at *iò* capiam Solatia *Fervidus Ultor*
Hoſtium ab interitu diro; horribilemque videri
Vindictam Illorum ſcelerato ex Sanguiue ſumam.
Namq; manum amotam referens, Iterata *Tuorum*
Verbera multiplicabo; Scopo hoc, ut nempè rejectas
Excernens ſcorias, Tibi de fornace Nitorem
Purius inſtaurem *juſtum*, & Strigmenta repurgans
Stannea, *quæſiti* eliciam *Genuina* metalli:
Reſtituamque tuis *poſthac* Putealia ut olim
Integra Judicibus, ſani, & velut ante *Magiſtros*
Conſilii referam Tibi, quo *jam* Jure voceris
JURIS METROPOLIS, FIDEI VRBS TUTELA FIDELIS.
Iudicii ad *Libram* ſervabitur ecce reducti
Diſparis ingenii SION, & Diſcrimine facto
JUSTITIA redimentur ab Improbitate Reverſi;
At Defectorum novaque in Peccata ruentûm
Ingentis (pariter) veniet fractura Ruinæ,
Succumbent Sancti Deſertoreſque JEHOVÆ.

HOSE. CAP. VII.

ARGVMENTVM.

Spernit opem Medicam, oblatam rejicitque Salutem
IZRAEL averſus; Peculatibus atque rapinis
Clámque, palámque ſtudet: Sympoſia perdita (Gurges)
Affectat, Regum accenſus Vinoque, Suorum
Fervet in Excidia, Auxiliis ſeque applicat Extris;
Væ Servis p ofugis! Paraſitis Væ quoque blandis
Qui fallacem arcum referunt luduntque Sagittis
Futilibus, DEUS hos at non tallente *ſagittâ*
Sternet acervatim, Phariæ Ludibria Genti
Civilem *ob gladium, diſtrictæ Telaque Linguæ.*

DVM medicas adhibere Manus Curator amicus
IZRÆLI inſtitui, magis hinc erumpit *Ephraimi*
Indomita Impietas; præfracta *Sâmaria* durâ
In Mala propendit Cervice, exercita jugi
Perfidiâ; nam Fur *Speculator* Tecta ſubintrat
Irrepens; Graſſator atrox *per aperta Viarum*
Circum equitans invadit iter molimine crudo;
Gens tamen haud reputat ſecum malecaura Futuri,
ME, Scelus Ipſorum ME mente revolvere totum;
Quanquam adeò Agminibus Malefacta frequentia denſis
Oſtentatores Dominos En Vndique cingunt,
Intuitu noſtro coràm obverſantia; tersâ
Nequitiâ Exhilerant Regem improbitatis amœni
Concinnatores, Figmentis denique lautis
Circa Magnatum, lepidi, præcordia ludunt;
Cuncti in adulteria inflammatis ſenſibus ardent,
Fornaci ſimiles accensâ Vepre flagranti,
Cum ſtertit laſſus depſendi à Munere Piſtor
Tempore plus juſto (dum bolus nempè fubactus
Fermentum accipiat:) Nam Tempeſtate, peracto
Orbe, recurrenti, REGIS quâ ENCOENIA, *Votis*
Conſecranda *piis*, aderant, tunc Quiſque Meracos

Illi

Illi hauſtus properans repetitâ ab amyſtide, Princeps
(Fervidus Ipſe) *Caput ſimul omni è Gente Supremum*
Febre ferit validâ; dum Rex oblata frequentem
Extendens ad Vina manum, ſe turpiter iſtis
In cladem Ipſe ſuam (Excors) Irtiſoribus infert;
Hi namque inſidias agitantia pectora Vino,
In furias acuunt, Furnum velut ignis adurit,
Morphea dum abſorbens piſtor, ſine Mente, per omnem
Obſtupuit Noctem, & multo jam MANE reſurgens
Sentit inardentem flammas vomuiſſe Caminum;
Hinc omnes *cerebroſi* in ſeditioſa ruentes
Conſilia intendunt animos, nimiiſque calentes
Ignibus abſumunt Præfectos turbine raptos,
Illorum & REX quiſque truci cadit Hoſtia Baccho,
Orator nec me precibus Quiſquam invocat Horum.

Se cum Alienigenis (ME Spreto) immiſcuit EPHRÆM
(Fœdere percuſſo) in proprias ſed Transfuga clades:
Convivas inter veluti dum Vligine ſuavi
Plena placenta, Supina ſuo ſtat *Succida* Fundo,
Hanc ſibi diſcupiens avidâ deglutit Orexi
JVS ſapidæ exhauſtum circumſtans Turba Salivæ,
(Damuum Ipsâ ignorante Suum) quin Infima cano
Sedimenta ſitu, *poſthâc neglecta*, putreſcunt;
Sic albus muteſcit EPHÆM; ſed quamlibet omni
Vertice nix ſeſe affundat lethalis; *ineptus*
At non Ille Suum feſtinat adire JEHOVAM,
Aut His ME admonitus, Documentis quæritat amens.
Iſacidæ ſimiles fatuæ, ſine corde, columbæ,
Ad nutricem Ægyptum adamant pipire, ſub alas
Hincq; ire Aſſirias, plumis ut leniter illis
(*Proh transfixuris*) molles foveantur Alumni;
Sed cum Suffugia advolitarint *perfida*, eiſdem ut
Retibus involvam Vecordes, atq; prehenſos,
Sicut aves Cœli liquidum per Inane Vagantes,
In prædam aucupibus deduxero, quin & acerbis
Verberibus proſcindam, Vt eis innotuit olim
Cœtibus Ipſorum in mediis Noſtro indice Verbo.

Væ; vcrais profugis ſe ſubducentibus à me,

Perditio

Perditio ; Imperium Noſtri obtrectantibus almum ;
Pellaces apagè Artifices ! Qui, ſicubi, Dextrâ
Divinâ indigeant, blando tunc deniq; ME, ME
Ore Redemptorem accerſunt, ſonituq; fatigant ;
At ME haud certè *animis* ſuſpiravere *Vocatum*,
Mollibus è ſtratis, quandò obſtrepuere Supini
Iſti Vlulatores ; Privata in Commoda tantùm
Vt ſibi Frumentum, Vina atq; recentia, votis
Fictitiis ambire queant, MIHI comminus adſunt ;
At ſimul invalidos EGO, deciduoſq; reductis
Faſciolis ſtrinxi, confirmaviq; lacertos,
Suppetiis Erecta Meis ingrata Synaxis,
Perfida Cœpta dolis in ME molitur iniquis :
Nempe revertuntur *blandi* ; at non herclè JEHOVAM
Ad Protectorem, fallacis inſtar at arcûs
(A Scopo aberrantis) deflexi ſunt pede Varo
Curricula in perverſa ; cadunt Mucrone cruento
Mutua Magnates per vulnera ; acutior omni
Lancinat enſe ſuis diſtrictaq; Lingua palatis,
Jugè fovens ſtomachum per mutua probra, Quod illis
Ceſſerit in tremulum Ægypti per Regna cachinnum.

HABBAK. Cap. I.

ARGUMENTUM.

Perfidiam Populi Affinis, Moreſque ferinos
Inque Deum atque Homines, gravè deplangente Prophetâ ;
Irâ Excandeſcens, Vltrices ſpondet IOVA
IPSE Vices ; Fore uam Vim vi truciore, Malaſque
Fraudes perfidiâ mox ut graviore retundat,
Chaldæo famulante aſtu, rabieque protervâ :
Adſtupet Edicto horribili, *at ſe ſubjicit æquo,*
Exultatque Fide, exoſos licet acer in Hoſtes
Invehitur Vates, tumidoque tragœdiat Ore.

QVouſque JEHOVA, Tuas vanis Clamoribus aures
Perſonem (*inauditus*) fœdis ſed & *Omnia* clamem

Unguibus

Unguibus invadit VIS cruda? SALVTIFER almam
Nec tamen IPSE Manum deporrigis? OPTiME cur mî
Stat Tibi *Iniqua modò* indigitaſſe gravamina RECTOR,
Et facis occurrant oculis *Horrenda* retortis?
Namque Rapina, palàm telis armata recurſat;
Sunt etiam Qui præpoſitis ſibi, *Jure*, Magiſtris
Intentant lites, & Jurgia: Quâ lue Lex *jam*
Languida ſuccumbit, neque ſe Jus exerit æquum;
Grex &, Iniquorum quia cingitur agmine, *Juſtus*,
Heu perverſa SACRVM fert Plebiſcita TRIBVNAL.

Reſpicite O Mediis de Gentibus, atque ſtupore
Perculſi attonito admiraminor; Eh EGO *veſtris*
Propedièm quoque *Temporibus* MAGNALE Verendum
Exequar IPSE Manu, *quod* ſi referatur ad aures
Teſte rato Veſtras, haud aſſentire voletis.
CHALDÆOS nutu namque IPSE citavero; Gentem
Immitem, rapidam, *Vaga* per Telluris ituram
(Quam latè patet excurrens) ut *Vi* ſibi quivis
(Quæ non *Hæredi* Jure obvenere paterno)
In prædam Vaſtator ovans Domicilia raptet.
Proh genus humano generi exitiabile! Cujus
Neſcius *externis* Animus manſueſcere Juſſis,
Pro *libitu Arbitrii* arreptum *ſibi* Jus & Honores
Deſumit voſitos [Quid enim conatibus obſtet?]
Cum Pardos celerum æquiparet *fuga* præpes equorum,
Trux rabieſque Lupos; ſub fera crepuſcula prædæ
Graſſantes ſtudio connato immaniter; Ingens
Vis Equitum (ſpaciis longè accerſita remotis)
Lativagos populatur agros, ſpoliiſque repenti
Ingruit incurſu, crudi quaſi Vulturis alâ
Quem Dapis extimulavit amor; Nam propulit *Omnes*
Eſcæ Sacra fames, Facierumque halitus, Eurum
Reſpicit Indigenam, ſed & *Illi* deſtinat Oræ,
Innumeræ certans Captivorum agmen arenæ.
Regibus inde ipſis (crudis Superator in Armis)
Illudet, Procerumque chorum Sarcaſmate crebro
Excipiet (Contemptor) inexpugnandaque Viſu,
Ariete quaſſanti, & congeſto ceſpite (Montes
In ſuperextructos) ſibi Propugnacula ſubdet.

Inflato excreſcens tunc immutabitur HVIC cor,
Defixamq; Homini cupiet tranſcendere ſortem,
Aſſumens animos, *nimis* atq; *feroculus*, *altos*,
Fit reus, *iſta* ſuo dum deferat *Acta* Deaſtro.

Degeneres apage at queſtus! Quid? Nonne *perennè*
Vivis ab *Æterno*, DOMINUS DEUS & SACRO-SANCTUS
JAH Meus? At minimè certè à prædonibus iſtis
Extincti moriemur! Eos mihi at Alme JEHOVA,
In *Cultum modò* (CORREPTOR) ſtabilire volebas,
In *VIRGAMQVE* INVICTE DEUS; Tibi purior O SOL
JUSTITIÆ eſt oculorum acies, quàm ut turpe libenter
Conſpexiſſe *nefas* poteris vel (ut ore) *ſereno*
Exoſum obtueare MALVM; cur *jam* ergo videris
Perfidiâ infames pacato cernere Vultu,
Terrificus quondam, *nunc* Linguâ ut Captus *inerti*
Abſtinuiſſe minis vis objurgator acerbis,
Se meliorem Hominem, dum rictu detur atroci
INJVSTO glutire? Quid O pulchri Ordinis AVTHOR
(Heu deforme CHAOS!) faceres genus Omne Virorum
Ceu *Pinnas* Ponto immani ſine lege natantes,
Aut *Inſecta* vago temerè raptantia tractu,
(Vt Fors obtulerit) Ducis haud Conſortia gnari?
ILLE ergo ceu Piſcator Qui *callidus* hamis
Captat Piſciculos, tereti aut jaculator in alvo
Reticuli comprendit, aquaticave Agmina paſsim
Clauſa everriculi ſpacioſo abdomine Vaſti
In *Siccum* educit vi multâ, ità geſtit opimis
Turgidus in ſpoliis, propriiſque exinde (*litator*)
Immolat Ipſe plagis *tacitâ* (*quaſi Thuris*) acerrâ,
Suffitus adoletq; per *Hæc* (*ſibi jugè colenda*
NUMINA) quod ſaturæ fruitur pinguedine ſortis,
(*Altilis*) expanſæque referto ſtromate Menſæ.
Ergò perennè rapax tragulas educet onuſtas
(Prædator) Gentes & atrox occidet *inermes*?

MIC.

MICÆ. CAP. VII.

ARGVMENTVM.

Orba relicta Bonis, queſtus ſuſpirat acerbos
SPONSA, Fidem clamans periiſſe, & ubique nefaſtos
Invaluiſſe Dolos, nec AMico impunè vel ulli
Credendum; Nunc Unum opus incubuiſſe ΓΕΗΟΥÆ,
Et PROMISSA Æterna animo præcepta fideli
Oppoſuiſſe Malis fugitivis: denique Fœdus,
Et Benefacta DEI corde evolviſſe Benigni.

HEI mihi Solivagæ; ceu nuda per arva Viator
Evagor eſuriens, cum Frugibus undique carptis
Latè & Sollicitâ præreptis ungue racemis,
(Deficiente Botro, atque avectâ prorſus oporâ)
Vix deſiderio præcox jam Fructus aventi
Sufficit in guſtum: Terrâ Probus excidit iſtâ,
Atque Hominum occurſus inter *rarò* Integer uſquàm
Suppetit; invigilant crudis aggreſſibus Omnes,
Atque obſeſſa ſuis per compita fratribus aptant
Circumquaque plagas plagiaria Natio rectas,
Conficiant ut utrâque manu Facta improba dextri
Artifices; Princeps depoſcit Munera, Judex
Impermiſſa aviduſque rapit, profertque Dynaſtes
In Lucem, jam perfectas quaſcunque tenebris
Finxerat ærumnas, contortuplicantque periti
Schœnoploci; tribulo par quiſque vel optimus Horum
Horridior ſpineto æquiſſimus: Illa tuorum
Ecce Dies Vigilum properat, correptioque atrox
Ingruit, atque alios his illaqueantibus *ipſis*
Affuerint Res perplexæ: Deſiſte Propinquo
Fidere, Ductori temet committe nec ulli;
Cordi affige ſeram, labriſque impone ſigillum,
Nè *gremio Recubanti* animò Mens effluat alto;
Natus enim affiſto dehoneſtat Crimine Patrem,
Nata infamatæ obloquitur Sycophanta Parenti,

(Acribus insurgens probris) Convitia Socrum
Conspuit inque suam petulans Nurus; Hostium in ipsis
Turma habitat plerumque Hominis primaria Tectis:
Propterea obtutu, Vili à tellure, remoto
Versus ad EXCELSVM speculabor, & usque Salutis
Opperiar jam Mente DEVM; DEVS Ipse precantem
Suppliciter, DEVS Ille meus, me exaudiet ultrò.

Mitte Inimica ferox nostro insultare Dolori,
Lætitiam compesce *brevem*; Quando Ipsa labascens
Cernua prociderim, mox experrecta resurgam;
Cum cooperta Malis spissâ caligine condar;
En iterum efficiet nostram inclarescere Noctem
Cœlifluo Splendore DEVS; tolerabo JEHOVÆ
Ferventes justâ irâ Animos (*EGO*) conscia nostri
In Dominum Admissi, Accensi dum NVMINIS Irâ
Defervente, meam Solenniter, Arbiter almus
Egerit IPSE Dicam, mihi Fasque rependerit æquum
Antidicæ injustæ in Furias; *Me* exinde *Relictam*,
Proferet in lucem, *Squallentem*; animisque refectis
(Justitiam speculata DEI) satiabor; Idipsum
Zelotypa advertens stimulis immanibus icta
Perfuret, obtectam penitùs, Confusioque Hostem
Obruet, HANC, odiis Quæ insurgens nuper acerbis
(Ausa nefas) *ubinam ergo JEHOVA (O Perdita) custos*
Nunc agit Ille tuus? diro eructaverit ore.
Hoc ego projectum meritò Tellure *Catharma*
Videro spectator luteis jacuisse platæis.

Macte animis (rediviva) tuorum namque tumores
Cum Murorum ægros, labefactaque refecero quassas,
DECRETVM quoque tunc almum emanabit ad oras
In longinquo etiam Orbe sitas; Quin Tempore & illo
Accurret vester facili tibi tramite Civis
Discedens, *hinc*, Assyriâ de gente Viator,
Pacatæ Ægypti ad Vallatas mœnibus Urbes;
Mox impune, iterum à Regione rediverit Illâ
Ad patrium Flumen, Maria atque alterna remensis
Gurgitibus repetet, Montiúmque reciproca crebro
Transcendet juga circuitu, per amica recursans

Imperia

Imperia Excidio poſtquam Iſthæc debita Tellus
Iverit (heu) peſſum, execratos propter alumnos,
Et malefactorum fructus, ſine More, feraces.

Paſce pedo Pecudes (*Candentia Vellera*) Ovilis
Hæres IPSE Tni, nemeroſa per avia *ſolæ*
Carmeli quæ teſqua habitant, Jam more vetuſto
(Ingentem per planitiem *Baſchanis* opimi)
Paſcua læta herbis, fœlix *Gileadis* & uber,
Effuſa in laxis depaſcent agmina Campis.
Ecce ſecundum Actus, Famoſaque Tempora quandò
(AVSPICE ME) *Chamiæ* quondam Tellure Tyrannæ
De truculenta jeras, Magnalia mira ſtupenti
Tunc Populo monſtrata, iterum monſtraveroque ISTI.
Iſta tuebuntur diverſo è Cardine Gentes
Arrectæ, Viſorum ad Facta immenſa *tacentes*
(Os Quodque obſignante Manu) ſine voce, fileſcent,
Ceu Cataractarum nimioque Sonore ſtupebunt
Aures attonitæ; pronis faciebus, ut angues,
Pulvereos lingent tractus, & Honore verendo
Commoti, erepent caveis, Terreſtrium ad inſtar
Serpentum, eximio elicitarum Lumine, Noſtrum
Adque DEVM pavidi accurrent, ſanctéque timebunt.

Quis TIBI par quâ ſeſe Habitabilis explicat Orbis
JAH DEVS; Emaculans Commiſſa nefaria *gratis*,
Relliquiiſque ſuæ condonans perfida Sortis
Delicta, haud Iræ fomenta perennia triſtis
Vltor alens, placido quòd delectetur Amore?
Demittens ſtomachum Noſtri miſerebitur (Almus)
Peccati atrocis domitâque Tyrannide, mittet
Sub juga Nequitias, validâ Virtute, ſubactas;
Quinetiam Sceleris Veſtigia quæque pudendi
Conteget, atque imò immerget Probra cuncta Profundo:
Polliciti Veracis Opus (ratus IPSE JACOBO
Promiſſor) præſtabis; ABRAMO *Reſque benignas*
Quas altâ PATRIBVS pangens ab Origine priſcis
Juratus ſtabili firmâſti Pignore SPONSOR.

PSAL. LXXIV.

ARGVMENTVM.

Divinâ ſuper Irâ, Hominumque Tyrannide queſtus,
Cladibus ut Populi Vindex accurreret, alto
Poſtulat *ore DEVM. Brutus fremit undique Clamor*
In Templum, Cultum, Cultores; truxque IEHOVÆ
Deſævit ſine more Furor, ſine Fine vel ullo
(Proh Dolor) indicto; gemit indignanſque Propheta
Res fieri horrendas, ferrique; at Fœdere fretus
Et Virtute DEI, Furtis commiotus & Hoſtiûm,
Suppetias SPONSÆ, SPONSOQVE **precatur** *Honores,*
Inque Os blaſphemæ invehitur Furiaſque catervæ.

CVR TIBI præciſâ ſtat Inexorabilis irâ
Nos DEVS abjeciſſe (*Tuos*) & Pectoris intus
Accenſi indicium piceos jacere ore vapores
In Caulæ Indigenas propriæ? quin, OPTIME, Cœtûs
Mente recordare, O tandem Placabilis, æquâ,
Quem Tibi quæſieras antiquitùs, atque Peculi
Quod Virgâ emenſum, libuit *Dextrâque* (REDEMPTOR)
In Sortem Tibimet ſumpſiſſe: *Hujuſce* SIONIS
Commeminiſſe velis, intrà Pomœria cujus
Quondam incolueras (*Ingens Habitator*;) at Vltor
Nunc O perpetuis ſurgens accurre Ruinis,
Inque animum ſubeat memorem Tibi, Quicquid *acerbus*
Flagitiorum Hoſtis Loca pridem in Sancta patrârit;
Per Tua namque palàm fremitu DELVBRA Ferino
Vndique Divinis Signis ceſſantibus, Hoſtes
En Gentilitii poſuere Inſignia Cultûs.
Quo magis in TEMPLI Laquearia nexa tigillis
Libanicis furerat Quiſquam, in Sublime Securi
Sublatâ, evaſit Niſu magis Inclytus iſto

(Per-

(Perfidus Effractor:) Sed & auſu porrò ſecundo
Sculpturæ archaicæ collapſa Toreumata, in Ipſis
Ruderibus, tudite, & numeroſâ Vecte friantes,
Pulvereos nunc in Cumulos, Atomoſque refringunt.
In Sacra Tecta TIBI En! flammas miſere voraces,
Polluerant Manuumq; Tuas contactibus Ædes,
In vilem dum prorſus humum abjecere prophani.
Quin tacitè dixere Homicidæ in cordibus altis,
Perdamus SANCTOS, cum Sacris Ædibus *Ipſos*
Vno eodemq; Igni; Synagogas protinus omnes
In diros miſere Rogos, *Incendia ſubdens*
Natio; Triſte nefas! Non Signa Docentia claris
Porrò typis *oculis* coràm ſpectanda ſuperſunt,
Nec Legis, qui Senſa ferat Veracia, fidus
Auribus Interpres; *Raruſve* Propheta Futuri
Qui Scius, aſſignet Tantorum *Extrema* Malorum.

Ergo quouſque furens in TE Probra conſpuet Hoſtis
Ore (DEVS) rabido? Felle ergo Inimicus amaro
Sacrilegus Veſtro æternùm inſultabit Honori?
At quianàm [O Judex Scelerum, Vindexque TVORVM]
Hoſtibus ultricem Dextram, Famuliſque benignam
Contrahis? Heu gremio incluſam nunc extrahe lento.
A primævâ etenim TV Rector origine perſtas
Jugiter Imperitans; Tu me ægide (FORTIS) ab Ævis
Texiſti, Auſpiciis *tantiſque* ſtetere SALVTES
Omnimodæ, Mihi quas, validâ Virtute, parâſti
ORBIS ad immenſi Spacia Vltima; TV mihi Pontum
Inſuetum ſecuiſti in iter, Mediiſque Draconum
Niliacorum in aquis, Capita alta *rigentia ſquamis*
Fregiſti, Percuſſor atrox, Ipſumque Draconum
LEVIATHANA Ducem plagis in fruſta ſtupendis
Viſum comminuiſſe TIBI, in Victumq; dediſſe
(ALME) Viatori Populo, per INANIA Syrtum
Teſqua profecturo; ſed & *illic* OPTIME, Rupem
(*Fontis opimi alvum*) Stagnum & Torrentis aquaï
In miros fidiſti hauſtus, turgentiaque Vndis
Flumina, Gurgitibus dederas *contrà* arida ſiccis.

Naturæ ſtabilem veraci Lege Tenorem

ARBITER exactus moderaris in Ordine certo,
Atq; TVAM vicibus NOCTEMQVE DIEMQVE ſtitiſti
Ritè recurrentes; Tu prævia Munera Lucis
Primigeneæ ſparſiſti, & Solem deinde paraſti
ORBE recepturum patulo fluitantia Abyſſo
Fulgura; TV Fines vaſtæ Telluris & omnes
In Metis cohibes juſtis, validoſque calores
ÆSTATIS formâſti, atq; aſpera Frigora BRVMÆ;
O QVI Res alias in debita Metra reducis,
Obice diſpoſito tumidos quin comprimis Hoſtes
NOMINIS, O Veneranda TVI? TIBI Dedecus alto
Hoc animo inſideat ſaltem (in Fomenta furoris)
Quòd Probris Inimicus atrox maledixit acerbis,
In NOMENQVE Tuum è pleno convitia plauſtro
Conjecit maleſana cohors; Nè TVRTVRIS *albam*
Simplicis abjicias Animam, truculenter ab Iſtâ
Colluvie tractandam adeò, neque *ſemper* Egeni
Expoſitique Gregis ſis immemor ALME JEHOVA;
Reſpice (Placatus) Noſtris cum Patribus icti
Fœderis Acta DEVS; Loca caligantia Terræ
Nam Tenebris cooperta meris & plena furenti
Undique ſævitiâ, diris Penetralibus horrent.
Vi crudâ Oppreſſus, ne ſpe confiſus inani
Diſcedat confuſo animo; *Nunc* Ora puſilli
Heu Pater, attritiq; Gregis, Monumenta Benigni
NOMINIS Ampla Tui, plenis ſac pangere buccis;
Surge DEVS, TVQVE Ipſe Tuam, Dextrâ Auſpice cauſam
(Zelotes Orator) agas, altàque reponens
Mente Memor, recolas Scurræ, ſine fine, prophani
Blaſphemas ignominias; & ſcommata inuſta
NOMINI Adorando, à ſtolidis, bruto grege Fungis
In Mentem revoces; Ingentis namq; tumultûs
In TE ſurgentûm Populorum clangor obortus
Clariùs aſſiduis reboat mugitibus auctus.

Secun-

Secunda Pars
HUJUS DIATRIBES;
REMEDIA à SCRIPTURIS tradita pro amovendis ECCLESIÆ *Peſtibus*, & Salute recuperandâ, *ſcil.* FIDES, RESIPISCENTIA & ORATIO ἀνυπόκειλος.

FIDES primum Remedium.

ESAIÆ CAP. L. *à v.* 4. *ad Finem.*

ARGVMENTVM.

At non uſque furent, Cœleſti in Corpore, Peſtes;
Languorum Curator adeſt, Cui Munera Linguæ
Præſtat Alexicacæ DEVS, Inſpiramina FLATVS
Et ſine fine *SVI*, *fibris Quibus influat ægris,*
SEQVE ferendorum ſiſtat Paradigma Malorum,
OBSEQUIO ad Mortem prompto, patient' procellas,
Probraque quæque FIDE *ad Luctam* Quæ *provocat ultrò,*
Irridetque *Hoſtes, fretu Omnipotente Lacerto,*
PRÆSIDE Quo in Tenebris *pia Gens nitetur JOVA.*
QUI ſibi *Lucem animat, piceis reſidebit in Umbris.*

ECce Mihi eloquio inſtructiſſima Lingua JEHOVÆ
Obtigit Arbitrio, callerem ut Temporis apti
Ipſo apice, exhilarantis Epos prædulce palati
Inſtillaſſe Animis hebeti languore retuſis;

Munus

Munus in hoc quâvis vigiles mihi pectore ſenſus
Exciit Aurorâ, excuſſitque ut inaudiat Aurem
Quo *Sophiæ* Solitum auſcultari More *Magiſtro*;
Nam docile Edictis *mihi* JAH cœleſtibus Author
Organon aptavit, neque Refractarius Illi
Reſtiteram, Placiti impatiens, (cervice retortus
Indomitâ) ſævis ſed Percuſſoribus ultrò
Terga ſecanda dedi, quin depilantibus ipſas
Obtuleramque genas, Vultum haud avertere *certus*
Vili ignominiâ, ſputo Oſorumque probroſo:
Nam mihi ſubveniet FORTIS DEUS IPSE JEHOVA
Symmachus accurrens; ergo haud Confuſus abibo,
Ergo Os compoſui ſilice obſtirmatiùs ipſo,
Haud mihi tincturum confidens Ora ruborem;
Nam prope ſtat QVI me cauſæ mihi Conſcius æquæ
Juſtificat; mecum lite experietur at Ecquis
Antidicus? quin ſe admoveat; Contrarius infert
Se Quis Agoniſta? at conſerto Marte propinquus,
Conferat Ille manū; En DEVS adCertamina præſtò eſt
IPSE mihi Adjutor; Quis me Causâ ergo Minorem
Judicio peraget? Mihi Quivis (Veſtis ad inſtar
Attritæ diuturno uſu) veteraverit Hoſtis,
Conteret hunc molli Vermiſq; edentulus ore.
Sed quotus inter Vos animo reveretur IOVAM,
SERVIQVE *Exſortis* præceptis paret amicis?
Ille licet ſtygiis paſſim circundatus umbris
Per rimam Lucis jubar haud attraxerit ullam,
SVBDVCTO tamen omni Animæ cum mole, JEHOVÆ
Incumbat (Fœlix ſine Luce, Tenebrio) nullâque
Ante oculos extante *Baſi*, ſe fulciat Ipſam,
Arcanâ ſubnixa Petrâ ſpes firmior, at Vos
Quicunq; egelidâ plus æquo in Nocte caventes
Triſtibus â tenebris, privatâ ut Lumina vobis
Expediatis ope, indigenas extunditis Ignes
[ME ſine gnara cohors] Veſtrorum agè, Vade focorum
Perque pyras medias, Scintillarumque micantûm
Fulgura, [dum Rerum patietur proſperus ordo]
Anxius oppoſitâ ſed & *Hoc* perpende bilance;
ME Feriente tuas inopino Vulnere fibras
Succumbes, *proſtrata*, Doloribus obſita nigris.

Eſa.

ESA. CAP. LI.

ARGUMENTUM.

IPSE Fidem OMNIPOTENS IZRÆLIS ad Archiparentum
Exemplar *revocat*, Gentilium *& excitat æstro*
Lætificam in CHRISTI Doctrinam, & Prisca fovendæ
Argumenta Spei *recinat*, Certamina passæ
Æquis Prima *animis Ope Propugnantis* JOVÆ
Orantem TZIJONÆ; *Orituram porrò Salutem*
Asserit Alternam: *Translatas Hostibus Iras*,
Spectandasque oculis quasi jam præsentibus offert.

JVSTITIÆ studiosa phalanx, Propensa JEHOVAM
Quæsiviſſe, Meis aurita attende loquelis;
Respice jam ad Rupem *Gentilem* excisa propago,
CISTERNÆ Vos fundentis reminiscereque *almæ*,
ABRAMUM *Patrem*, Parientem agnoscequeque SARAM
Progenies genuina; *Hunc* (haud stipantibus ullis)
Excerpsi è Populis ~~olim~~ Incrementisque Beatum,
Antiquitùs assiduis Verax Promissor adauxi;
Iamque Sionæas lachrymas absterget, Avitæ
Gentis IDEM COLVMEN, cladesque resarciet omnes,
EDENISQUE Ejus dabit horrida, Tesqua *nitore*
Splendidiora almo; PARADISO, Incondita Syrtum
Et Deserta, DEI; Jocus, & festiva *per Illum*
Gaudia, dulce Melos, Vocalis & Oda reclangent.
Ad ME impensè Animam *Nostras* adverte Synaxis,
Acclinisque Aures adhibe, En! prodibit ab Ore
LEX emissa MEO; Præscripti Juraque Nostri
Morigeris passim Populis in Lampada tradam.
JVSTITIA ecce MIHI in procinctu astat, in Orbem
Integrum exibit; SALVS, sed & undique figent
Brachia per populos mea, Plebiscita volentes,
INSVLA continuis, disceptaque Plurima, Terris
Vota super Nostrum suspendent, spesque Lacertum.

Aspicite

Aſpicite Excelſi ſublimia Concava Cœli,
Subſidens penitùſq; ſolum; En! evanida fumos
In tenues cœli exhalabit Machina, Tellus
Squallentiq; ſitu veteraſcet, ut obſita Veſtis,
Quilibet atlimili morietur & incola ritu;
Noſtra Æterna ſalus ſed enim per nulla peribit
Æva, nec Emoritura Fides. Adverte, *ſupremæ*
Conſcia Juſtitiæ Gens, & Præcordia prorsùs
Præceptis imbuta Meis; palleſcere nullis
Terriculis tremefacta velis, Hominumve pudendis
Opprobiis confuſa rubeſcere, Quippe Comeſos
Trux tinea, ut Pannum corroſum, conteret Iſtos,
Aut velut Exuvias prædatrix Vermis Ovinas;
AT MEA JUSTITIA haud ullis defecerit ævis,
Viderit extinctam Generatiove ulla Salutem.
Evigila, evigila, vireſq; refume veruſtas
(*INVICTI* ô minimè obſiſtende Lacerte *JEHOVÆ*)
Te excute *Qualis eras* Naſcentis *Origine* Gentis,
Contiguiſve *illi* Ætatum Decurſibus; Ecquid
TE PUGILEM POPULI ſtrictâ haud videre Machærâ
Ægyptum excidiſſe, & confodiſſe Draconem
Niliacum? Quid! Nonne manes *IDEM ILLE*, Profundi
QUI malidas exhauſit opes (Stagnantis *ABYSSI*
Congeriem) ingenteſq; undoſæ Molis acervos
Qui dedit in plani deſidere tramitis æquor
Sortis in *aſſertæ* Traiectum? *Hoc* ergo *REDEMPTI*,
Expedient Reditum, *mirando in Cade*, *JEHOVÆ*,
Atq; *SUUM IZIJONEM* iterum ingredientur Opimi
Cantibus in mediis, & Ovario Maxima Cuique
Se Capiti affundet; Solennia Gaudia paſſim
Læti exercebunt, Gemituſq; Dolorq; recedent.
En *EGO* Mærenti Tibi Gaudia *Certa* miniſtro;
TU QUÆNAM, à Morituro, adeò ſerviliter, Hoſte
QUÆ tremis, interituri Hominiſq; à *Semine* pulles
Turpiter, ut fœnum citò, *Quod* flaccеſſet obortum?
Dum Longa interèà capiant Te Oblivia *NOSTRI*
(Nempè *CREATORIS* validi) Qui Robore Cœlos
Artifice expandi, *Telluris*, & *IPSE* locavi
Tenvia Fundamenta *Gravis*, Sæviq; cruentum
Aſſiduò Oppreſſoris Onus ſine Fine timebas;

Aſt

Aſt ubi jam Oppreſſoris Onus (*SPE Languida*) duri?
Captivus [*Babylone*] exul feſtinat onuſtus
Compedibus ſolvi; laticum nè expiret inani
In Foveâ, Frumento aut deficiente fatiſcat;
En adſum ſed enim Veſter DEVS IPSE JEHOVA,
Qui diſpeſc ui aquas, lato diſcrimine, Ponti,
Cum fremuere graves Euro incumbente Procellæ;
REX EXERCITVVM cluit HIC cognomine SOTER:
Verba MEA En Veſtro mandavi *operoſa* Palato,
Protectrice, Manûs Te diſpoſuique, ſub Vmbrâ,
Vt TE, inſtaurandos fundem, VICETECTONE, cœlos,
Atque integra novæ jaciam Fundamina Terræ,
Dicam & *TV POPVLVS, MEA TV RESPVBLICA TZI-ION.*
Evigila, evigila, in rectas Te ſurrige plantas
VRBS SOLYMA, à DOMINO ſpumantia Cymbia (Bile
Cœlitùs infuſâ) Quæ hauſiſti; Epotaque Diri
Craſſamenta Meri, è Dolio deprompta JEHOVÆ
Terrifico, invito miſiſti in Viſcera ſorptu.
Proh Dolor! haud Patrus ſupereſt Tibi in omnibus unus
Attonitam ærumnis valeat qui calle Parentem
Ducere *inoffenſo*; jam jam titubante labantem
Vel pede, det Dextrâ conſiſtere STATOR Amicus:
Ambigua En Peſtis juſtâ tibi contigit Irâ;
Bacchantis Gladii Vaſtatio ſæva (Quis ictam
Defleat?) abſtracti graciliſque Penuria, Victûs.
At quo te recreem conſolatore Dolentem?
Deliquio elanguens Natorum turba tuorum
Omni procumbit Platearum in Fronte, velut BOS
Retibus implicitus Sylveſtris, Plenus atroci
Quiſque Horrore DEI, furienti & percitus æſtro.
Ergo jam exaudi Miſerabilis, Ebriaque, (at non
Herclè Mero) DOMINVS, veſter DEVS, atque JEHOVA
Sic ait Ulturus Proprii Mala paſſa Popelli.
IPSE TVVS VINDEX, cladis miſerator acerbæ,
Terrificum Hunc cratera (Iræ cratera refuſæ,
Craſſamenq; Meæ) retraham nunc illico veſtrâ
Et prohibebo Manu, biberis non amplius illum;
Aſt exindè Manus *Hanc* Te cruciantium in ipſas
Contulero *CALICEM*, (*Illorum*) Qui (*Dira locuti*)

Veſtræ

Voſtræ Animæ multo Dixere gravamine preſſæ,
Dejice te (Calcanda) Tibi inſultemus ut Actæ
Imam Nunc in Humum; TVque (O MEA) Juſſa cã-
peſſens
Protendiſſe tuum properaſti in Pulvere *Corpus*,
VILE PAVIMENTVM, Nequam Inſilientibus aptum.

HABBAK. Cap. III.

Divinæ Edicto Vates perterritus iræ,
GRATIÆ opus renovari, atque innoteſcere claris
Poſtulat Indiciis, Fidei in Fomenta *PIORVM,*
Experimenta *DEI*; *hinc priſcis* Magnalia *Sæclis*
Viſa palàm exponit, quin pollicitæque Salutis
Læto Evangelio, Se poſt tot in orbe tumultus
Oblectaturum, Rebus vel maximè in arctis
Spondet Ovans; FIDFI Teſtemque hanc conſecrat
ODAM.

AVdivi Omnipotens Edictum, & inhorruit alto
Conſternata metu mihi Mens; Quin OPTIME
cœptum
Olim Opus in mediis Collapſum ſurrige Seclis
Intereà, atque Inſigne palàm & Notabile præſta,
Quin Animi in tetricâ teneri reminiſcitor irâ.

Magnifico quondam inceſſu Gradiente JEHOVA
Paranis, Temaniſque è Montibus, atque verendo
Fulgore Indutus, *Cœli obſcuravit Honorem*
ILLE *Suo*, in totâ Tellure Ejuſque ſonabant
Laudis *inauditæ* Præconia, fulſit ab *Illo*
Solis & aurati radiis Radiatio longè
Purior, è Manibus ſurgentia Cornuaque ibant
Armatis, Queis Virtutem *obvelantia tantùm*
Delituere Typis *Umbracula*; Lurida Viſu
(Terribiles Formæ) PESTIS, ignitus & ANTHRAX
Egreſſæ, Pedibus DOMINI præîêre coruſcis.

Poſtquam

Poſtquam conſtiterat Metis Telluris *amœnæ*,
Ejus & extenſo Emenſus ſpacia Vltima Fune eſt;
Vidit *ut* Indigenas populos, ſimul *Horridus ipſo*
Diſpulit *Aſpectu* pavidos; Tremuere ſubindè
Infima Fundamenta, Supremaque Culmina Montiûm
Summiſere apices, *ILLI*, CVI ſemita ab ævis
Pergit in Æternum; Tentoria territa Cuſhi
Æthiopis preſſiſſe ingens Anguſtia viſa eſt,
Et Midianitidis trepidâſſe Aulæa *recinctæ*.

Ergo Tibi in Fluvios Animi deſæviit æſtus,
Diſplicuere Fluenta DEVS? Maris æquora rubri
Magnanimo irritare Iras potuere JEHOVÆ?
Quod Tuus Oceani Campis Equiratus apertis,
Atque Salutares, inſueto tramite, Currus
Per rabidum clangens iter arripuere Profundum?
Imò Poteſtatis TIBI non refragabilis *Arcu*
Alveus enudatus erat, Tranſacta ſecundum
Juramenta Tuis Tribubus; *Sermone fideli*.
Hinc Mare diſceptis utrimque (SALVTIFER) undis
Diffidiſti in opem POPVLI; Montana videbant
TE Juga, & intremuere (DEVS,) tranſivit Aquarum
Congeries, Voce immanique rudebat ABYSSVS.
Æthereis etiam Regnantes Orbibus Ignes
(LVCIS uterque PARENS) ſacra-ſancta ad Claſſica
(Juſſi)
Ambo ſtetere ſuis â Curſibus; adque Nitorem
Ivit inaſſuetum, Telorum *Grando* Tuorum,
Quin & inardeſcens, radiis Solaribus, *Haſta*.

Integra Telluris ſpacia, altâ Accinctus ab irâ,
Greſſu corripuiſti avido; Indigenaſque Colonos
Triturâſti Animo inſenſo; Sed Amicior ibas
Protexiſſe TVOS; Almoque effultus ab VNCTO
Salvandi in Munus Properaſti; At atroce Bipenni,
Quolibet hoſtili in Lare, (*Decollator*) avebas
Præcidiſſe CAPVT, FVNDVMQVE Hac STIRPE
ſcatentem
Haſſenis, enudaſſe Internecione *repenti*;
Oppidaque *Illius levibus Primaria* Virgis

HVJVS

HVJVS (INVNCTI) operâ, nullo terebrâſſe labore
Contigit ALTE Tibi; Ingruerat cum Turbinis inſtar
Hoſtis ſe agglomerans, Noſtra ut ſpargenda Procellis
Membra daret, quaſi lætitiâ exultaret ovanti,
Ingluvie ſperaret & abſorpſiſſe Voraci
Gentem inopem; [ſed enim Omnipotente ſub Ægide tectam.]
Tunc iter invaſiſſe Tuis EXCELSE Caballis
Per medias Gentes Viſum TIBI, & ad Mare Magnum
Pertigeras Victor, Multarumq; Aggerem Aquarum.
Hæc ut ego audieram, Cuncta Inteſtina tremebant,
Contremuere ſono mihi Labra, per Oſſa cucurrit
Intima, tabificans medias putredo Medullas,
Meq; equidem obſeptum gelidâ formidine Terror
Prævius incaſſit; ſi fortè in Agone quieſcam
IPSO, (ope non noſtrâ innixus;) Cum Dirus, in *Iſtum*
Aſcendens Populum turmatim invaderet HOSTIS.

Flore licet nullo pubeſceret arida Ficus,
Stirps defecta ſuo ſterileſceret Vvea fœtu,
Parturiens Labor *emeritæ* ceſſaret Olivæ,
Eſcam Terra ſuis cohiberet laſſa Colonis,
Grex, Ovium in vacuis moreretur Ovilibus Omnis,
Prorſus et altilibus Mandris Armenta perirent,
Prædidiſ at at uſque ndeliter Ipſe JEHOVÆ
Perfruar, inque DEO noſtræ exſultrabo Salutis.
Non expugnandâ Mihi nam pro Rupe JEHOVA eſt;
ILLE meas Cervi alipedis magis impete plantas
Expediens iter in *Sublime*, per Æthera vectum
Me juga ſumma ſuper, Turritaque Mœnia TERRÆ
Evehet; *Hâcque ratâ jam Spe* FIDIVM Ipſe MAGISTRO
Dedico, PNEVMATICIS *Hunc* ut Chorus accinat HYMNUM.

RESI-

RESIPISCENTIA
Secundum Remedium.

HOS. CAP. XIV. ad v. 4.

ARGVMENTVM.

IZRÆLI ſcelerum in præceps immane ruenti
Præcipit ut reſipiſcat, ad Edictamque ſuperne
Formulam ut exoret DOMINVM laudetque SVPREMVM;
Abſtinet hinc *Aliis IZRÆL, ſeſe applicat Vni*
Auſpicioque DEI; NOMEN veneratur IOVÆ,
Cum Populoque Manentis *opem deſiderat; ILLVM*
Sed non Propitium ſenſit; tamen inſtat, & Ortum
Fomentumque Mali Myſtæ cauſatur Inanes;
Propoſito at perſtat DEVS; atras Pſeudo-Prophetis
Detonat & Populo ærumnas; tunc flebile Murmur
Ejulat Exanimis Vates; Faſtidia priſcis
Hæc diverſa animis *queritur, Veniamque precatur*
Delictis POPVLI, atque SVIS; Veracis IOVÆ
Fervidus appellatque Fidem, Fœduſque Benigni:
Flectitur Ille precum Auditor, *Populoque medetur*
Averſo, gratiſque favens promittit opimum
Ornatum; Hinc IDOLA infenſior abjicit EPHRÆM.

ISACIDÆ Soboles, in atroces quam tua lapſus
Impulit improbitas, ad *Veſtrum*, *averſa*, JEHOVAM
Vulnera Sanaturum (age) Mente revertere ſanâ.
Sume tibi dulcis nunc blandimenta loquelæ,
Adque DEVM rediens precibus *ſic* excipe gratis;
Dic; Ah fœdifragas condonans eximè culpas,
Oratum & concede Bonum; ſic caſta feremus
(OPTIME) Dona TIBI craſſis potiora Juvencis.
Illuſor non nos ultra ſervaverit Aſſur,
Haud rapidiſve vehemur equis, ad Pſaſmata noſtræ

Dicemuſque Manûs, *Vos eſtis NUMINA nobis,*
Pupillis quia JAH TV ſubvenis VNE relictis.

JEREMIÆ Cap. XIV. *à v. 7. ad v. 22:*

NOſtra licet Delicta in nos (Legio atra) JEHOVA
Inſurgant Teſtes onerosâ Lite moleſti:
At (BONE) propitiæ ob celebrata Inſignia FAMÆ,
Fac Sontes miſeros Veniæ (Miſerator) opimas
Divitias ſentire Tuæ: Peccavimus omnes
SANCTE (Tibi) immenſo cumulatis aggere culpis.

O Gregis IPSE Tui SPES ſola, SALVTIFER VNVS
Temporibus duris, cur ceu peregrinus ab iſtâ
Deproperans Tellure *rapax*, TE proh brevè Siſtens
Hic ut in Hoſpitio, *tantùm pro Nocte*, (Viator?)
Cur fueris Vir ut elanguens, hauſtiſque fatiſcens
Viribus (OMNIPOTENS) aut ceu PVGIL INCLYTVS *Armis*
Quondam Animiſque vigens; Frigens *nunc* impete tardâ
Nec Validus ſervare manu? At TV uſque JEHOVA es
IDEM animo; Fideiq; tenax, habitanſque TVORVM
Conceſſu in medio; *TUI* & *inſignimur* Honore
NOMINIS impoſiti; Sortem O nè deſere lectam.

Tum ſuper Hoc Populo tumido ſic Ore JEHOVA
Obloquitur; cupit *Hic* ſimili palantia ritu
Curricula exercere, Loco conſiſtere neſcit;
Propterea àverſa eſt mea mens, de tramite Noſtro
HVIC ſe avertenti; & veteris meminiſſe reatûs
Nunc libet (VLTORI *Rapido*) in Peccataque *juſtis*
IPSE animadvertam pœnis. Mihi porrò JEHOVA
Edixit, quin Te (Orator) pro Gente rebelli
Vota dehinc cohibere Volo, Petitura maligno
Huic Populo appoſitos quicquid conducet in Vſus.
Cum ſimulata palàm ſeſe ad Jejunia vertent,
Compoſitis ſurdas vertam clamoribus aures,

Quando

Quando holocauſta Sacris adolebunt pinguia flammis,
Et mihi opima ferent vicibus donaria crebris,
Haud proclivi animo accipiam, vultuque ſereno;
Sed Gladio, atrocique Fame, & peragrante repoſtos
(Quaquâ) Peſte ſinus, ſceleratam abſumſero Gentem.
Tunc Ego! proh DOMINE, Illuſos pellacibus *Iſtos*
Fallunt blanditiis (turba importuna) Prophetæ;
Haud ſenſuri eritis (dicunt) ſtrictaſve ſecures
(*Divinâ Gens tecta Manu*) nec inopia Victûs
Conficiet graciles cœtus, ſed habebitis altam
(Hâc Veſtrâ in Statione) ratamque in Sæcula Pacem.
Pſeudo-prophetarum regerit tunc de grege Vano,
Qui Divino edunt proprios ſub NOMINE ſenſus (tis
Hæc DEVS; Haud miſi, NOSTRÆ aut ſenſa intima men-
Evulganda dedi, vel ad Hos ſum *omninò* Locutus;
Subdola Viſa, Ipſique adeò malè-congrua VERO,
Remque ferunt Nihili, Illuſique Inſomnia Cordis
Mendaces proprii tantùm in compendia quæſtus;
Sic ait ergo DEVS myſtis contrarius illis
Qui Noſtro proprias prætexunt Nomine technas,
Injuſſuque Meo, privo Dictamine, dicunt,
Haud Tellure Fames Ferrum aut graſſabitur iſtâ;
Ipſi deficient Enſe Eſurieque Prophetæ,
Natio & *iſtâ Cui Commenta* obtrudere certant
Fatidica (artifices) paſsim cadet undique Vicis
Projecta in mediis Solymæ, Gladiique Famiſque
Miſilibus transfixa malis: inhumata jacebunt
(Committente in Humum Nullo) Sexûſque, Gradûſque
Corpora cujuſvis; adeò populariter omnes
In cœtus, dignas Vitiis effudero pœnas.
Dixeris (in Caſûs Omen ferale futuri)
Hoc & EPOS; Fluat emanans, Nocteſque Dieſque,
Irriguis ſine fine oculorum è Fontibus humor,
Nam contrita gravi penitùs proſtrabitur Ictu
Vulnere & immani Noſtræ data Filia Genti;
Si fuero egreſſus per aperta forinſecus arva,
En ibi confoſſos gladio, regreſſus in Vrbem
Eſurie rabidâ macratas conſpicor umbras
Namque ſacerdotes, ſtudio unanimique Prophetæ
Exponunt Vanum hanc Gentem (ignorantibus ipſis.)

Prorſus at exoſam rejicis (SACROSANCTE) Jehudam,
Ivit & in Spreti faſtidia ſola Sionis
Primus, & Altus Amor? numeroſo vulnere fixos
Trajicis (infenſus) nec adeſt curatio læſis
Ulla, reduxue SALVS; *Pacem* effulgere (ſupernè)
In TE defixo obtutu, ſperavimus, Orta
Nec tamen emicuit; *Sanandi Tempus*, at uſque
Durus io perſtat tantùm tenor; Ecce Reatûs
Multiplicis *longam Seriem* (Noſtrûmque, Patrumque)
Te coram DOMINE extrahimus (ſine fraude, ſtrophiſq;)
Noſque adeò in TE *(certatim)* peccaſſe fatemur.
Fœdus ob æternum petimus, NOMENQUE TUUM TE,
Nè (PATER ALME) Tui Solium præluſtre Decoris
Vili Ignominiâ (contemptor) adobrue. Firmi
Sis memor, evacues nec Jura fidelia Pacti.

HOSEÆ CAP. XIV. *à v.* 4. *ad finem.*

EN EGO *jam* Iſtorum eſt quæcunque Averſio (SOTER)
Hanc medicâ curabo manu, atque Favore benigno
Amplectar; Mihi crudæ æſtus deferbuit Iræ.
ISACIDIS Euri afflatis uredine ſicci
Inſtar roris ero, velut Hortis Lilia ſurgent
Irriguis, & humo impactis Radicibus, altè
Exierint, Libani ut procero in vertice Cedri,
(Progenies fœcunda) expanſis undique ramis
Aëra per vacuum; ſed & uſque virentis Olivæ
Veſtiet ornatus, nec ab His ingratior ibit
Halitus, *ac Illis Animis*, quibus imbuit Auras
In Iugo aromaticum ſpirans Examen *odoro*.

Conſtrictâ Iſtorum à ſtirpe ligamine ferrêo
Erumpet Soboles matris ſeſſura ſub umbrâ,
Multipliceſque iterùm, Frumentum ut fertile, fœtus
Producet, Vitique pari efflorescet honore

Suavè

Suavè virens; Sæclis prægrataque Fama futuris
Libanici laticem ſuperabit odore meraci.
His EPHRÆM auditis Idololatra, quid inquit
Jam reſtat cum Terriculis mihi porrò negoti?
Ite *Malum*! Audivi; ſed et Illum dulcè loquentem,
Contemplabor. EGO *USQVE* recenti en Vvida ſucco
Adſum Abies, â ME tibi ſuppetit, Aride, Fructus.

Qui ſapit, interiùs *ſibi* perſciat *Iſta*, Salutem
In propriam agnoſcatque Sagax; nam æquiſſima cunctis
Compita procedunt DOMINI, *ſed enim Integer* illis
Perget inoffensùm; at ſibi Transfuga Scandala ponens,
In Barathrum (ſtolidus) recidet, ſine Mente, profundum.

ORATIO, Tertium Remedium.

PSALM LXXX.

ARGUMENTUM.

IZRAEL inſtar Ovis vagulæ, & peculatibus aptæ
PASTORIS Curam exorat, *Ductumque Fidelis*
Indigenam in Caulam; Paſtum, Potumque malignum
Lætitiæ *gemit, effuſi* largumque Doloris;
Nunc & opes VITIS fruticantis, opimaq; frangi
Brachia, & effodi Suibus fibramina luget;
His refici à Damnis petit, & ſoboleſcere rurſus
RADICE effultum Genuinâ, & ſuavè vigentem
Vertice prolifico in Cultum laudeſque IEHOVÆ.

PErvigil IZRÆLIS PASTOR, qui perpete ductu
Proſpicis egregio Pecori, de ſtirpe JACOBI,
Quod tibi privati in Sortem admoviſſe Peculi
Complacuit; Bonus, exaudi, rutiloſque (SERENVS)

Inter agens roſeo *CHERVBINOS PHOSPHORE* vultu
Illuceſce palàm, *Ephratæa* per agmina (Vindex)
Benjaminiſque Tribum, arrectique in Vota *Menaſſis*
Excute prævalidas Vires, delabere (pernix)
In partes noſtraſque *Salus*: Jam priſtina reddas
In *Sacra* nos ſedeſque DEVS, puroque renidens
Frontis inoffenſæ ſplendore; Inviſe nigranti
Nocte ſitos, *ſic* Veſtro in Nos recreabimur ortu.
O Exercituum *DEUS*, *ANTISTESQUE IEHOVA*,
Ergo quouſque Tui Vindicta extenſa Furoris
In *Populi*, Pater Alme, preces fumaverit ipſas,
Cui jam pro *ſolis* lachrymas ſuper ingeris eſcis?
Quin pateras lachrymarum in pocula porrigis amplas,
Undique *Vicinis* noſtras carpentibus & Res
Litem in ridiculam diſponis, ſplenque protervus
Cuique inimicorum multo in nos ſcommate turget:
JAH Exercituum Præſes, quin priſtina confer
In SACRA nos, ſedeſque ſtatas, puroque renidens
Frontis inoffenſæ ſplendore, inviſe nigranti
Nocte ſitos, *ſic* veſtro in nos recreabimur Ortu.
Jampridem Pharios tranſvectam à traduce plantam
(*Vinitor*) in Terræ Cananitidos Vber opimum
(Evulſis infrugiferis Gentilibus) altè
Defixiſti actam, ſpacioſumq; undique Fundum
Finibus effuſis dederas, totamque *Secundo*
Munere, multiplici complere propagine Terram;
Quin Montes tecti ſteterant Illius opacis
Latè frigoribus, nec in auras Palmite denſo
Segniùs exierat, validis quam frondibus altæ
Per *Purum* ſpaciantur opaco Vertice Cedri;
Luxurie *tanti*, Oceani ramalibus oras
Hinc tegit intonſis; *Magni* Vada ad ampla *Fluenti*
Indè ſuos lato extendit Diſcrimine Surclos;
At quianàm à morſu tutantia ſepta petulco
Nunc libet evertiſſe, adeò ut diſcerpat *inermis*
Expoſitos temerè Fructus facili ungue Viator,
Et Vaſtator Aper ſilveſtri effuſus ab antro
Ex altrice revellat humo, Grexque accola Campi
Claviculos petulans corrumpat dente maligno?

Com-

Comprecor O! ſtudio Noſtri reminiſcere priſco;
Nunc celſâ de ſede Poli, nunc deſpice Vitem,
Cœlitùs, auxilioque repenti inviſe miſellam,
Magne Exercituum REX; Ah jam Vineæ adeſto
(*Tempeſtive*) Tuâ plantaſti, ab Origine Dextrâ
Quam Sator, *Huicque* ſacro traductæ à Stemmate *Virgæ*,
Decreto tibi Quam robuſtam reddere firmo
Complacuit; Sævo at nunc Hic comburitur igni
Surculus, Excidiove perit, perit omnis amœno
Stirps exciſa Solo, caperatis territa rugis
Oris IOVA Tui; Verùm O! Vis ardua Veſtræ
CELSE Manus, ſuper Adſcitum *ad Magnalia* DEXTRÆ
Eſto VIRVM, Partumque *Humano Semine* cretum,
QVEM tibi fortificaſſe in Munera Summa volebas:
AVSPICE QUO, nos retrogradis haud greſſibus à TE
Cedemus poſthac; TU afflatu O VITA recenti
Nos anima, in Veſtrumque vocabimus (OPTIME) NOMEN:
JAH Exercituum DEVS, heu jam priſtina confer
In SACRA nos, *ſedeſque ſtatas*, puroque renidens
Frontis inoffenſæ ſplendore, inviſe nigranti
Nocte ſitos, *ſic* ſuavè tuo recreabimur Ortu.

Tempus maximè opportunum Reſtaurandæ ECCLESIÆ, poſt peracta *ſc.* DEI Judicia ſuperiùs denunciata.

ESA. CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Mundi in Turbinibus, Cœleſte ex pulvere GERMEN Exſiliens, Decus in Sanctorum *aſſurget Opimum* Reliquiis *SALEMI in VITÆ CODICE Scriptis, Purgataſque admet culpas Ablutor* Inemptus; *Præſidio tutans, ſtabilique Salute redonans.*

TEmpore demùm Illo GERMEN FATALE JEHOVÆ
Suavè efflorescet, nitidoque emerget Honore,
Natalique ab humo Fructus Cœleſtis in Altum
Exſurgens in grande Decus, pulchrumque videri
Ornatum, *Reliquo*, quod erit TZIJONE ſuperſtes,
Illâ Tempeſtate aderit; Quicunque deinceps
Namque ſuperfuerit Solymâ, ſteteritque Sione
Accola adhuc reſtans *Sanctus* dicetur, & illic
Quiſquis aget, Vitæ inſcribetur codice, civis;
Nempè Sionææ Sobolis cum opprobria, tetramque
Illuviem Sacer aſperſu Iuſtraverit Humor,
Iudicii & Critici Afflatu, Excernentis & Ignis,
Sanguineum è Medio Solymæ DEVS IPSE reatum
Suſtulerit purgante Manu; Tunc & ſuper omne
Amſancti Montis Domicile, Sacramque Synaxim,
Quâque Die NVBEM, FVMVMQVE JEHOVA creabit,
Nocte *Columnam* ignis rutili, & Funale coruſcum;
Namque INSIGNE DECVS ſuperambiet undique Tegmen
Funibus Æthereo demiſſum à Cardine denſis;
Tecto erit expansim prætentaque SCENA Cuivis,

Syderis

Syderis à radiis rapidi & fervore diurno
VMBRA REFRIGERIUMQVE placens; tutuſque receptus
A Torrente vago, atque incurſibus *Ennoſigæi*,
Atque fidelis, ab Imbre increbreſcente, Latebra.

Tertia Pars; *viz.*

Ipſa profligatio prædictarum ECCLESIÆ Peſtium, Ordine parallelo.

Primæ Peſtis Curatio ex diverſis Scripturæ Periodis conflata.

ESA. CAP. II. *à v.* 1. *ad finem* 5.

ARGVMENTVM.

JUDÆIS LEGEM averſantibus, indè Magiſtram
GENTIBUS Hanc *perhibet tradendam*, *Illaſque lubenti*
Corde recepturas, *& ad ejus Lumen ituras*;
Nempè Illâ *ad Senſus penetrante Medullitùs imos*,
Auribus haud ſummis fluitante, *Ejuſque IEHOVA*
Participes in Cor *Unum Formante Viamque*,
IPSUM communi vereantur ut uſque Timore.
Infeſtos Animis abſterget & IPSE reatus,
Sanctos effingetque ſinus (Tabularia LEGIS)
Morigeroſque DEO, *aſcitis & Fratribus* almos;
Hæc dabit haud Meritis, *propriâ ſed* Sponte *(Benignus)*
COELI *muneribuſque addet Munuſcula* SÆCLI.

Ergone JVRA DEI, & ſemper LEX ſpreta jacebit?

NON ità! ſed fuerit ſupremo in Limite Rerum,
Quandò SIONÆVS reliquorũ in Vertice Montiũm
Exiterit

Extiterit ſublimis apex, ÆDISQVE JEHOVÆ
MONS, Juga tranſcendens ſuperaverit Omnia, ad Illum
Confluat ut denſis conceſſibus Integra Gentiûm
Congeries, Populique adeuntes ſponte viciſſim
Dicant; O Sociale Agmen, communibus acti
Quin ſtudiis DOMINI Montem conſcendimus Altum,
Inque DEI ſerimur Sanctum Domicile JACOBI?
ILLE SVI de Salvificis *hic* tractibus *Author*
Inſtruet, ut miſſâ curvarum ambage Viarum,
ILLIVS recto pergamus tramite talo
Cœlitùs edocti; LEGIS doctrina MAGISTRÆ
Nam Solymæ è ſcatebrâ fluet; è TZIJONE rudeſque
SERMO DEI erudiens; diſcordes Arbiter inter
QVI Populos ſe Judicio *Bonus* ingeret æquo,
Atrocem nimiùm ſtomachum Gentûmque frequentum
Corripiet Cenſor Medius; gladioſque recudent
Fatiferos in aratra dehinc, haſtaſque minaces
In placidas vertent, innoxia Munera, falces,
Nec Gens alterius jugulum, neque funebre Bellum
Solerti nimis Ingenio colet effera Pubes.
Progenies agedum priſci genuina JACOBI,
Scintillis proprio elicitis de corde relictis,
Veridici in purâ gradiamur Luce JEHOVÆ.

*Jer.*31.31,32,33. Ecce inſtant volucres, gyris volventibus Anni,
Quando Novũ Fœdus, duplici Hâc cum gente (*IEHVDA*
Atque *IZRÆLE Meo*) confecero, dixit IOVA,
Sorte haud oblatum *ancipiti*, ut VETVS Illud Eorum
Quod cum primævis pepegi Majoribus olim,
Quando manu arreptos, Phariâ è Tellure, Redemptor,
Promiſſam eduxi in *Cananitida*; Quod Mihi Fœdus
Inſigni Impietate Fide fregiſſe refixâ
Sanctis non dubitavit Avis *Stirps degener*; *Illam*
Quamlibet accuravi ut Sponſam Sponſus amatam.
Hoc ſed erit Fœdus præciſâ in Fine Dierum
Quod cum Illis Mihi ſtat ſtabilire, edixit IOVA,
En EGO in arcanos indens Mea Jura receſſus,
Mentibus Illorum mediis inſculpta recudam,
Haud Populo temeranda *levi*, fueroque *recepti*

Fœdus

Fœdus in HOC, DEVS IPSE, Hi, Noſtri Grexque Peculi.

Ier. 32. 39, 40. Uno quin *hos* corde, Viâ donaveroque Vnâ,
Vnanimes in SACRA, ut ME reverenter adorent
Tempeſtate omni; memores mihi Fœderis icti
Quo benè ſitque Ipſis, ſtirpi Ipſorumque futuræ.
Fœdus & *Immortale* ævorum in Sæcula Sponſor
Depangam cum Gente Sacrâ; Quod Tempore nullo
ME *nempè* à charis fuero averſurus Alumnis,
Quo minus Huic benè vel dicam faciamve Popello;
NOSTRIQVE efficiam Reverentia ut alta refictis
Hæreat Ipſorum in fibris, nè fortè relapſi
A ME, diſſidio exciderent lethaliter ullo.

Ezek. 36. 25, 26, 27. Quin de purganti Luſtramina tracta Lavacro
In vos aſpergens omni emundavero Labe
Sordûm contractarum, à Stercoreiſque Deaſtris]
Emaculabo (potens Abluror) CORQVE receſſu
In tacito recreabo Novum; Novus inditus à ME
Decidet in gremiumque Animus, Silicinaque Vobis
Durâ è Carne adimam præcordia, cordaque carnêa
Mollitie intenerata dabo; ſed & influet in VOS
SPIRITVS ILLE MEVS, Noſtris qui incedere Normis
Suaviter impellet faciles, Mea Jura lubenti
Vt ſtudio excipiatis, ea efficiatis & Actu.
V. 31. *ad Fin.* His ſatis expenſis, Veſtri meminiſſe ſubibit
Tramitis exoſi, & ſcelera omni exercita curſu
Corde recurſabunt tacito; reputabitis & vos
Cenſurâ ingenuâ dignos qui cœlitùs actâ
Clade periſſetis, diri ob commiſſa reatûs.
Hæc EGO [Pollicitis O vos tam grandibus Impar
Suppoſitum] Meritis haud ſolvo ſtipendia Veſtris
(Lancibus æquatis) Viles agnoſcite Turbæ;
Concidite ergo animis; Pudor, & Confuſio Totos
Præteriti vos curriculi tegat, Inquit IOVA.
Hâc EGO quando tuas Ratione piavero Noxas,
Tunc erit, everſæ ſtratis ut mœnibus Urbes

Ædiſ-

Ædificentur adhùc, Vaſtiſque exhauſta Ruinis
Tecta accerſitis fuerint habitata colonis.
Auſpice porrò DEO, Squallentiaque inſtar EREMI
Arva novellentur, niteantq; Novalia cultu
Illa, ore horridulo Quæ Vaſtatiſſima *parcis*
Viſa fuere diù peragrantibus; *hincque* ſtupentes
Dicant, Hæc Loca fœda ſitu *modò*, Inhoſpitaque Vlli,
En jam non EDENE minori Flore renident;
Et quæ ruderibus propriis tumulata, lutoſo
Decubuere SOLO Faſtigia, ab agmine multo
(Structa ſubindè) ſtrepent fremitu reſonantia rauco;
Et circumſuſæ attiguis Regionibus Omnes
Gentûm Relliquiæ, ME agnoſcent Mente ſagaci
Veridicum Collapſa reædificaſſe JEHOVAM,
Et plantâſſe novis loca deſolata colonis.
Hæc EGO prædixi, ſed & hæc præſtabo *Fidelis*,
Facta Manu; Tamen obnixè ſuper *Hiſce* requirar
Abs IZRÆLE Meo *Magnalibus*, inquit IOVA.
Tunc grege cum innumero populoſa examina Pubis
Æquiparabo tuæ, [*Grege*, in hoc Altare, litante
Sacrificali adeò] FESTA ad ſolennia TZIJON
Quem confertim adhibet: Fuerit quoque quælibet Vrbiûm
Cive exhauſtarum, gregibus repleta Virorum
Vndique MAGNIFICVS reſciſcar ut eſſe JEHOVA.

ESA.

ESA. CAP. XXXIII.

ARGUMENTUM.

ui modò Florentes *alios ſtrinxere Tyranni*
Tondentur *mox Falce pari, prece freta fideli*
Genſque DEI, exciſos Hoſtes, Salva Ipſa, videbit.
FAH patet Elucens; Cæſum rapiuntur Iniqui,
FUDICIO ſtabiles ſtant JUSTITIAQUE COLUMNÆ (HÆ)
SCIRE DEUM & SAPERE; *En terræ nunc gratia ſqualleſt,*
Sordet Honos Regni; Nam trux EQUITATUS ubivis
Inque Homines, Agroſque furit: Nunc *ſurget IOVA,*
Comprimet & rabiem, Raptores & trahet Ipſos
In prædam; Expavit tum Claſſis Hypocrita, & Orci
Tormina præcepit, Juſtâ exultante Coronâ:
Viſurus Regem tandem Inſignemq; *SIONEM*
Haud fœdumq; *ſitu, vel prædatoribus hauſtum,*
Uſque at conſpicuos Ambos, procul Hoſte fugato.

VÆ tibi non direpto, alios qui diripis ultrò,
Perfidiaſque (in te cum non ſtruxere *Priores*,)
Immeritò in Socios ſtruis; Heus! ſimul Ipſe rapinis
Deſieris non ſpontè tuâ, te *ſponte* rapacem
Diripient Alii, veteri ceſſaveris aſtu
Cum Veterator iners, blando te Schemate fallent.
Sis Bonus O Fœlixque; & nos Altiſſime veſtram
Præſtolamur opem; quin TV, QVI antiquitùs *Illis*
Quôque Lacertoſus repetitas *Mane* Salutes
Artuleras, *Nobiſque* SALVS ſis Rebus in arctis.

Dum, *motu primore*, accedens *eminùs* Iræ
Divinæ fragor ingruerat, ſe præpete Gentes
Proripuere fugâ; TIBI cum Fortiſſime viſum
Surrexiſſe palàm, tunc præputiata ruebant
Agmina, turbatis ſe præcipitantia turmis;

Hinc-

Hincque TIBI *exuviæ* facili ceſſere labore ;
Quas priùs effuſæ ſibi corraſere Locuſtæ,
Dum circum-expanſis diſcurſavere catervis,
Ceu Prædam invâdunt Praſocurides agmine denſo.
Exaltatur iò Imperitans DEVS ! Ipſe Serena
QVI colit EXCELSA, *Eluceſcens* Ore verendo
JVDICIO implevit JAH JVSTITIAQVE SIONEM.
Ergo Tui *ærumnis pleni* nunc Temporis Ipſum eſt
Præſidium, Omnigenæque columna infracta SALVTIS,
TE Sapuiſſe DEVS, TE Noſſe fideliter ; EJUS
Theſaurúſque Almi Reverentia Vera JEHOVÆ eſt.

En Inimicorum clamore *forinſecùs* alto
Obſtrepuere Duces, Legati Pacis amaro
Stillabant ſletu ; Vaſtatio triſtis in atris
Squalluit aggeribus ; Catus abſtinuitque Viator
Callibus obſeſſis ; quin Fœderis irrita caſſi
ACTA dedit ; *POLIORCETES* contempſit & Altas
Acropoleis, Mortali Hominis neque ſemine creti
Cujuſquam rationem habuit ; Mœrore madens, &
Deficiens Languore ſolum deſederat, Ore
Libanus erubuit confuſo, *Scharon* (opimâ
Gente modò exultans, nunc ſparſo Examine) Solus
Ipſe ſibi adgemuit ; *Baſchan*, *Carmelque* rudebant
Frugibus excuſſis : EGO (nec Mora) dixit IOVA)
Nunc citus Exſurgam nunc, Exaltabor, & Acer
Geſtis ME extollam nunc grandibus : Arida Sole
Stramina parturietis, inanes denique, grano
Afflato, parietis acus, propriuſque Vapore
Spiritus ignito, (Cremii ſeu Flamma crepantes
Quiſquilias) vos corripiet ; fueritque caduci
Plebs Populi exuſta ut fornacibus indita calcis,
Aut ſpineta *acciſa*, Foco conſumpta voraci.

Heus ! Eritis quâcunque, *Animis*, *Spaciiſve*, remoti,
Auſcultate (Viri ;) Tuque O Vicina Synaxis,
Præſenti ſeclo recolenda, æviſque *futuris*
Facta Mihi attento agnoſcas Inſignia corde.
Horruit ad clades peccatrix Turba Sionis,
Contraxitque Metus, cultum *ementita* JEHOVÆ,

Collu-

Colluvies; Nam quis mediis fornacibus (inquit)
Ignis inexpleti commanserit? Imò quis ille
Hæc inter qui *jugè* habitare incendia possit?
QVIS? Qui Justitiæ tractu processerit æquo,
Eloquii inflexamque Fidem (rectissima fando)
Servet, qui lucrumque ausit spreviſſe rapinæ
(Excussis *Manibus*) qui obstructis *Auribus* (atras
Nè penitùs cædes immittant) denique clausis
Luminibus, nè fortè Malo abripiantur amœno;
Incolet *Hic* Terræ super *Alta*; Abruptaque Rupis
Culmina inaccessæ non Expugnabile cedent
Illi in Præsidium; *facilis* neque Victus opimam
Destituet Mensam, Calicemve fefellerit humor.
Insignem Vestitu, & Majestate serenum
Conspicies Regem, Evectas Ditionis & oras,
In *Longinqua*, breves; securus & Ipse Futuri,
Defunctoſque Metus, transacta Pericula quondam
Ancipitique Aleâ *Exultans* meditabere; suavi
Lætitiæ motu *Ingeminans*; *Ubi SCRIBA peritus*
Militiæ, Gazæ QUÆSTOR, PRÆSESVE Phalarum,
Cui Vis Missilium, Tormentaque bellica curæ?
Videris haud ultrà *aspectu, Verbisque* ferocem
Te compellantem Populum magis ore solæco,
Et Linguâ incertùm titubante IDIOMATE *scævo*,
Quàm genuinum animo sensum tibi perferat Auris.
Quin age Magnificum, spe gens oculata, SIONEM
Respice, solennem nostris conventibus URBEM;
Namque *erit ut* videant SOLYMAM tua Lumina Sanctã
Tranquillam penitùs caulam, atque immobile in *ævum*
Omne Tabernaclum; è paxillis cujus in altam
Depactis Tellurem, Hostis molimine nullo
Evelletur humo vel ab Omnibus Vnus in Illis,
Aut è prævalidis rumpetur funibus Vllus.
Verum *Ibi* Magnificus nos circumcinget IOVA,
Et fuerit Nobis *quod* flumina lata *Colonis*
Prætenta, immensique Lacus; quibus innatet *alta*
Remis Nulla Ratis, *Velisve feratur opimis*
Arripiens Animas Navis Turrita faventes:
JAH nobis JVDEX, JAH LEGISLATOR & Idem,
JAH REX Noster erit, clade HIC nos eximet omni.

Proh

Proh Classis correpta metu! fugit omnis anhelans
Desertis tibi turba Rudentibus; haud benè Malum
In mediâ arrectum poterunt stabilire carinâ
Præcipites Nautæ, densusq; ad Carbasa remex
Explicuisse sinus operâ contendet inani;
Jam Præda exuviis in partes cesserit amplis
Capta labore levi; vel *claudaque* Natio, Bello
Haud habilis, *referet* Dominorum Rapta Gigantum.
At SOLYMÆ CIVIS languoribus antè recurvus
Continuis, ope Divinâ nunc gestiet Ore
Decantare alacri; *sed enim jam Languidus esse*
Desivi; Quicunque SACRÆ Pomæriaque VRBIS
Incolet, admissis relevabitur illicò culpis.

ZACHARIÆ, CAP. XII.

ARGVMENTVM.

QVI Cœlos, propriâ Virtute, *Solumque creavit,*
Subsidio Populique Sui dispergere Gentes
Maluerat CHRISTVS per SE tamen ambit *inermem*
Zelotypus Vindex sibi *conservasse SION M;*
Nilque moratus opem, sed Opus Proclivis in Almum
Tantùm animos dedit attritos, spectantia ad IPSUM
Luminaque Indigno Extinctum Mucrone; *gravi jam*
Defletum gemitu, in tacitis, sine Teste, latebris.

DIvini Sermonis *Onus*, [Quod adobruet *Hostes*]
Gratiam in *IZRÆLIS Servati*, ait *IPSE IEHOVA*;
Expansa (Omnipotens) Qui quondam Concava Cœli
Fornice curvavit, solidam & fundavit INANI
Tellurem, VITAS intùs finxitque viriles;
En EGO conficiam Solymæam in Toxica Turrim
Finitimis quaquà Populis, tunc quandò JEHVDAM
Arcibus, obsessas *Hierosolymasque* tenebunt.
Quin *Solymam* ingentis disponam in pondera Saxi,
Quod labefactantûm Vasto molimine adactum

Decidet

Decidet è celsâ *in ſubjecta* crepidine præceps,
Atque agitatores contritos commolet ictu,
Huic licet obnitens totus concurrerit Orbis.
Nec mora! tunc omnis, ME percutiente, ſtupeſcet
Deliquio correptus Equus, lymphaticus ægrâ
Menteque delirabit Eques, ait Ipſe JEHOVA;
Inque Domum JVDÆ miſerantia Lumina flectens
Irradiabo oculis, cœcâ caligine Quemvis
Quadrupedum (infeſtus) Populiq; afflabo maligni,
Vique adeò ut tacito ſecum ſub corde volutent
Judæi, pia turba, Duces; *En! Robur IVDÆ*
Indigenis, Solymâque ſitis fœlice Colonis
Eſt Exercituum Dominus DEVS IPSE IEHOVA.
Tunc JVDÆ è magno traductos Fonte Dynaſtas
Fecero ut accenſam ſacris carbonibus Aram
Sylvam inter mediam, Tædam ardentemve manipliſ
Inſertam aridulis, Cunctaſque hinc indè *voraces*
Arripient Gentes in edacia pabula *Flammæ*;
Eque ſuis exindè *Hieruſchalaima* Ruinis
In proprio rurſus Fundo inſtaurata colentur;
IPSE DEVS, JVDÆ tentoria inermia primùm
Salva dabit VINDEX Dextrâ aſſertrice; ſerenus
Davidicæ nè Gentis Honos, ORNATVS ovantûm
Aut habitatorum Solymææ ſplendidus Vrbis
Præferat Indigenæ tumido ſe gutture Plebi.
Namque Die Hoc fuerit *propriâ* ut Virtute JEHOVA
Metropolis Cives tutetur, & inſluat auctis
Viribus, uſque adeò ut Plebeiis Parvus in illis
Davidicâ Virtute cluet, Proaviſque ſuborti
Davidicis Satrapæ, Angelici Paradigma vigoris
Ore, Actiſque dabunt; pugnantes ante tribules
ANGELVM itèm referent FACIEM QVI obſedit JOVÆ.
Quin fueritq; etiam cum incumbam Tempore *juſto*
In ſtrages Populorum Vltor truculentus; (EORVM
Qui nempè excidium venient in triſte *SIONIS*)
DAVIDIS ut ſuper *indè* Domum, Turbamq; *SALEMI*
Indigenam, IPSE *precum* effundam exundantis abundè
Gratiæ & Afflatum, quibus Illi cœlitùs acti
Ad ME (Quem Crucifixum, *alieno vulnere* Vivis

Suſtulerant, icti proprii tum angore reatûs)
Reſpicient, ſuper Hocque Nefas apprimè dolebunt
Ceu planctu *Unigenæ* impenſo, aut qualiter alto
Primigenam deflet luctu Pater orbus ademptum:
ILLO nempè Die gemitus reſonabit acerbus,
Planctus *Hadadrimmonis* utì, ſolenniter olim
Valle *Megidduntis* lachrymis effletus obortis;
Namque gemet tacitis Gens in penetralibus omnis,
REGIA ſtirps Nuptis, ad tempus, ſponte remotis,
Et VIR, privato CONJVX & quæque receſſu,
Magnateſque ſitis intrà conclavia ſponſis,
Ordo ſacerdotumque à conjuge (quiſque) reductus,
Turbaque ſepoſitis Plebis conſortibus, ultrò
Attollent Veros ſine Teſte & Fraude dolores.

EZEK. CAP. XXXVII.

ARGVMENTVM.

Poſt POPULI Excidia, REGNI Civileq; *funus,*
Acciſas & opes, videt Oſſa in Valle patenti
Plurima, Sicca, *Animiſque jubetur dicere Cœli*
Aſpirent ut in Hæc; Dictum! Factumque Strues ut
Viveret interfecta; [*Integra IZRÆLIS Imago.*]

Virgas mandatu-que Duas ſumpſiſſe, ſeorsìm
IZRÆLI, & JUDÆ inſcriptas, committereque
ambas
SCEPTRUM ut confierent Unum; Religaminis Omen
(Nunc diſrupti) *Utriuſque Statûs; dein Entheus*
effert
FOEDUS SPIRITUALE Ipſos interque-*Vocandas*
Sortem in Communem GENTESQVE *ſub Auſpice*
CHRISTO.

INjiciente Manum DOMINO mihi, defluus altè
SPIRITVS evectam Viſa in cœleſtia mentem

Senſi-

Senſibus abſtractam, Mediâ in convalle (*Profundâ*,
Sacri *Sarcophago* Populi) ſtitit, Oſſaque putris
Relliquias carnis latis oſtendit in agris
Exporrecta palàm; deduxit & IPSE (ſtupentem)
Per totum me Circuitum, quo plurima in omni
Sparſa ſuperficie funeſtæ Vallis, acervis
Extabant crebris, & erant valdè arida Viſu.
Tunc Dominus mihi *Sic!* iterumue Propheta recepto
Flamine vitali ſpirent Hæc Oſſa Priori
Exanimata ævo? QUEM contrà affabar *adorans*;
Scis DOMINE, en ſcis Ipſe, Homini neque ſcire cuiquam eſt.
Excipit actutum; ſuper His (age Præco) propherans
Oſſibus, edicas; O Oſſa prioribus olim
Exſiccata annis, Verbum exaudite JEHOVÆ;
Oſſibus his VITÆ ſic Dixit ORIGO JEHOVA;
Ecce EGO jam vobis reducis ſpiracula Vitæ
Infundam, afflatumq; novum, Quo Vivida ab ipſâ
Morte reſurgetis; Nervos namque artubus indam,
Veſtiam & Hos Carnis velamine; protinus ipſam
Huic ſuper-obducamque cutim, demùm influet à ME
Spiritus extinctis, iterum vivatis ut Orti
De SCROBE CHALDÆA; & ME noritis eſſe JEHOVAM
Vivificum. Simulac Mandati Ego Conſcius almi,
Promptus in Obſequium *Hæc* prædixeram, Obortus in agro eſt
Ecce repente fragor, me vaticinante, ſtrueſque
Pervaſit Medias ingens trepidatio, motis
Oſſibus, inque ſitum ſe diſponentibus aptum.
Mox ut Ego Nervos ſubſtratis Oſſibus, *Illis*
Offuſam carnemque ſuperveniſſe tuebar,
(Attonitus) nec adhuc tamen His, *ſine MENTE, FIGURIS*
Deſuper illabens Flatus Vitalis ineſſet,
Deinde Mihi dixit, Quin Vaticinare Propheta,
Hæc & anhelanti ſuper Organa inania Vento
Dicta refer, dic *Spiritui*, ſic inquit IOVA;
Segnes rumpe Moras Vitæ Inſtaurator ademptæ
O Flatus; agè jam quoquo de Cardine Cœli

Advenias, Animiſque Hos inſpirato Peremptos,
Ut ſolitis iterum vivant in ſedibus: Iſthoc
Percitus inſtinctu, mandatum ut munus obivi,
Fatidico *Præcepta* palàm ſermone Prophetans,
Illico vaginis ſe Spiritus induit *iſtis*,
Inq; novam reduces, Dictu mirabile, Vitam
Migravere, pedes erectaq; ſtantia in ipſos
Agmina, confertis ſeſe explicuere catervis.
Tunc Viſi interpres mihi ſic ait Ipſe JEHOVA,
Fili Hominis ſunt Hæc integræ Gentis Imago
Oſſa Meæ præ luctu animi Dicentis acerbo,
Oſſa jacent Noſtra irriguis exhauſta medullis
Ecce ſolo, in Vacuum caſſa expectatio ceſſit,
Quin Nos, (ſors aliis meliùs ſperare licebit,)
Stirpitùs excidimur; *nec habet Spes noſtra regreſſum*;
Ergo age vaticinare, His dic, ſic inquit IOVA,
En Mea Gens, EGO veſtra Manu Monumenta recludam,
Mox & Sarcophagis (ſed nè diffidite) ab ipſis
Dimittam integros, Telluri vos & amœnæ
Reſtituam; ſic ME validum agnoſcetis IOVAM,
Quando EGO de mediis conſumpta Cadavera Buſtis
Robore prævalido deduxero (Chara MIHI SORS)
Spiritum in extinctos paſſimque effudero acervos
Cœlitùs IPSE MEVM; Vos in Ditione ſacratâ
Et ſtitero reduces, ut noritis eſſe POTENTEM,
Dixero QVI Cuncta Hæc effeceroque IPSE, JEHOVAM.

Advenit *DOMINI* mihi mox vice *Sermo* ſecundâ;
Fili Hominis tibi nunc unam deſumito virgam,
Huncque ipſi inſcribas Titulum: PRO STEMMATE JVDÆ,
Nec non IACOBI reliquo pro ſemine, *Quotquot*
JVDÆ *in amicitiam coiêre*; Aſſumito virgam
HVIC aliam, hoc ſignans Epigrammate; PRO *IOSEPHO*
(*VIRGA EPHRÆMITIS*;) mox iſtas conſere *Virgas*
Appoſitis coſtis, fac & coaleſcere binas,
VNICVS in veſtrâ tibi ſint ut *SCIPIO* Dextrâ.
Mox cum te ſolers Populus, cupiduſque ſciendi
Communi Myſtem *ſic* compellaverit ore,

Annon

Annon Iſta velint ſibi Quid Myſteria (nobis
Tu datus interpres) nudis affabere Verbis?
Tunc agè dic Illis; Dominus ſic inquit *IOVA*;
En Virgam *Ioſephi Ephræmo à Rege* prehenſam
Cum Tribubus capiam adjunctis, Virgæque *Jehudæ*
Fœdere con ungam ſtabili, ſociamque dicabo,
Atq; recompoſitas Virgam conflavero in unam,
Vnicus ut fuerint NOSTRA Mihi Scipio DEXTRA.
Hæcq; Inſcripta, *duplex modo Virga*, ſed unica Veſtrâ
Nunc compacta manu, fuerit protenſa per omnes
Conceſſus Populi, inq; oculos ſublata fideles,
Dicq; Illis; Rerum Dominus ſic inquit IOVA;
Quin EGO ſum validi ſemen MIHI dulce *JACOBI*
Ecce recepturus mediis de Gentibus, Exul
Quo profugus jampridem exceſſerat; Illius actos
Et peregrè Extorres, orâ quâcunque vagantes
Colligam, & in propriâ rurſus Tellure locabo,
Diviſoſq; iterùm Gentem compegero in unam
Per Juga continua ambiguæ Ditionis; Vbi REX
Ipſis VNVS erit datus Omnibus; hinc neq; *Gentes*
Binæ ultrà fuerint, aut bina in Regna relapſi;
Polluerintve iterum ſe diis, aut cultibus Ipſi
Stercoreis, Factiſve malis, ſtudiiſve retrorsùm
Denuô Apoſtaticis; ſed enim ſervabo per omnes,
Quà modò peccarunt, ſedes; & ſordibus ipſos
Emaculabo ſuis, *POPVLVS MIHI DEDITVS* ut ſint,
PROPITIVSQVE His *IPSE DEVS*; Longævus & *HÆ-*
Civibus his *Princeps*, in Regna perennia, *David* (*RES*
Succedet, Solio admotus; ſed & *unus* in *unam*
PASTOR aget caulam, facietque incedere ritu
Mite pecus Noſtro, & Normis parere ſupernis.
Quinetiam *Terræ* reſidebit in Vbere lætæ
Indulſi vernæ ſtabili *Quam* Lege *Iacobo*,
Quâque Tui manſere Patres; Hic Incola deget
Gens Benedicta, ratam linquens (hinc transfuga) ſortem
Ad Natos Natorum, & Qui naſcentur ab illis.
Pacis cumque Ipſis (in mutua Gaudia) Fœdus,
Fœdus perpetuum, Nullus violabile Seclis
Pangam EGO, diſponamque & multiplicabo (Benignus)
Securis auctos in Sedibus, uſque & Eorum

In Medio, NOSTRI TEMPLVM Venerabile ponam,
Vt Meæ in Illorum fuerint cum *Cordibus* Ædes,
Illis ſim Dominus, POPVLVS Mihi ſubjugis *Illi*;
Atque innoteſcat Gentes ubicunque per omnes,
(Horum cum in Medio fuerit Noſtrum uſque Sacellum)
ISACIDVM ſtirpem ME ſanctificare JEHOVAM.

ESAIÆ CAP. XXXII. *à v.* 1. *ad* 9. *& a v.* 15. *ad finem.*

ARGUMENTUM.

Juſtitiæ REX *incumbet, Satrapæque Miniſtri*
PUBLICA ut Imperio inſtaurent, moderentur & æquo;
Gens VERIQUE ſciens Genii naſcetur odori
Noſſe *criſique Viros & compellaſſe ſagaci:*
[Elapſiſque Malis præcuntibus] illice: almo
SPIRITUS afflatu, Genum re-creabit Alumnam,
Integris Requiemque Animis, referetque Salutem;
Pravaque dum RURI, *Fœxque infeſtabitur* URBE
Fœlix qui irriguis Demeſſa Novalibus aufert.

Integra jam properat, *SECLIS* redeuntibus, *ÆTAS.*

REX REM Jure geret, quin Fas SATRAPÆQVE Miniſtri
Expedient; Terrâ juſtè & regnabitur omni.
HIC VIR, HIC eſt QVI turbineâ incumbente procellâ
Tegmen erit nobis; ubi inundans vis & Aquarum
Ingruerit, *cohibens Obex*; ſitientibus agris
Vt *Refrigerium Scatebrarum*; Ingentis *ut Umbra*
Circumfuſa *Petræ* languenti Vredine Terræ.

[Hoc Apice in Rerum fœlici] & Civibus acer
Intellectus erit, fiet neque Viſio craſſo
Fallentique oculo, malè cauta nec Auris inani Erraverit Objecto; ſed enim callebit uterque

Dignoſ-

Dignoſcenda ſibi, & modò mens temeraria, præceps
In præjudicia, *hinc* Verum intelliget *Ipſum*
Limpidiùs, titubans nec Lingua offenderit ultrà
Munere lapſa ſuo. Veracia NOMINA REBVS
Inferet illa palàm, nec *Flagitioſus* ineptè
Audiet INGENVVS, *Corraſor Opumve* BENIGNVS;
Nam *SCELVS Ille* ſuo *ſcelerata* effuderit ore
Quæ priùs enixè, patranti in corde, recudit,
Ficta *exercendo Mendacia*; Quicqnid opertè
Errorum inque *DEVM* exaluit *blaterando*, protervâ
Sævitiâque Animas *fraudando* prorſus *Egentes*
Vel *brevis* in victum Dimenſi, Inopiſque *minutos*
Subducendo (nefas) ſitientis inaniter *hauſtus*;
PESTIS & Inſtrumenta *Hujus* (quibus utitur Armis
Trux pro Miſſilibus) ſunt pernicioſa; politis
Noxia dum Commenta Strophis deſignat, & aptè
Compoſito in Meditata ſtylo, Capitale *Miſello*
Comparat Exitium; vel quandò *Æquiſſima* fatu
Proferat in cauſam veracibus *Ille* labellis;
Sed niveus cui Mente vigens in ſimplice candor
Ingenito fertur generoſa in Munia Motu,
Is cluet INGENVVS *meritò*, atque Exercitus Actis
Jugiter Ingenuis *ſincera* Laude fruetur.
[*Rerum* erit *Iſte ſtatus* (*Pia nè diffide Synaxis*)
Turbineus quamvis atris reſonanſque procellis
Nunc ſtrepat Axe fragor, venienſque redundet in Ævum]
Donec ab EXCELSIS in nos cadat *Ille JEHOVÆ*
SPIRITUS; Humanique expers ſudoris Eremus
Cultus ut elucebit Ager, nitidumque videri
Nuper Honore Arvum, Nemus Illud habebitur horrens;
Immò *Ibi*, *Sorte pari*, DESERTI *Incondita nudi*
JVSQVE colent, culto FAS & reſidebit in Arvo.
Tunc *PAX JURIS Opus* fuerit peramabile; ſacræ
JUSTITIÆ & *Soboles* (ſæclo durabilis omni)
Alta QVIES, INCOLVMITAS longævaq; ſurget:
Nam Mea pacificâ recubabit Natio Caulâ,
Tectis ſoſpitibuſque, locisque impunè ſupinis;
Grandine decumbat RVS quanquam Agreſte *caducâ*,
VRBS penituſque ruat gravibus depreſſa Procellis;
Vos tamen O quâvis in Tempeſtate beatos!

Qui juxtà irriguos ſeritis Sata pinguia Fontes,
Bobus & immiſſis in Terras frugibus aptas
Sic locupletetem *omni* Meſſem à ſemente refertis.

ESA. LXIII. *ad v.* 7. & *ZACHAR.* CAP. XIII. *à v.* 7. *ad fin.* Cap. 14.

ARGVMENTVM.

SPONSÆ Inopinus Ope-accurrens in prælia SPONSVS,
Cladis IDUMEÆ Vindex, fore Tempore certo
Spondet, ut abs omni Electos Diſcrimine ſervet;
JUDICIA & poſtquam in Sortes diſcreverit æquâ
Lance ſtatas, Erit ut crudos internecet Hoſtes:
Majeſtate adiens tum JAH TZIJONA verendâ
Munificæ defundit opes, & Quicquid Amœnum eſt,
Quicquid Honorificum, ad Cultum, Cultûſve Tenorem
Unanimem, *indulget Populoque miniſtrat Alumno;*
Infeſtos SOLYMÆ plagâ perditque ſtupenda;
Relliquias (niſi Qui in Sacros concedere ritus
Sponte velint) nullus maledictas perpluet imber.

Dialogus inter CHRISTUM, & ECCLESIAM.

EC. NAm *QVIS* Idumææ, truculento à limite *Bozræ*
Securè exſpacians, (gelidæ Formidinis expers)
Stillantesq; recenti Intinctus ſanguine Veſtes,
Arduus ire gradu, atque *Auguſto* INSIGNIS amictu
ISTE TRIUMPHATOR Rapidus! *CHR.* ME (SPONSA) tueris
JVS *grave* Dicentem, Validumq; afferre SALVTEM.

EC. Puniceis graderis cur *Sanguinolentus*, in Armis,
Perfuſus Chlamydem velut Is Qui torcular ingens
Calcavit, preſſiſque redit rubicundus ad uvis?

CH. En

CH. En EGO nempè meis *Solis* EGO viribus UNVS,
Torcular immenſum pede conſtipante ſubegi
(*Indomitus*) nullo ſuccenturiante *Sodale*
Participe ingentis MIHI toto ex orbe laboris;
Prorsùs at appoſitas facili molimine Turmas
Compreſſi pedibus, luteis Calcator in agris
Irâ Excandeſcens validâ: Sic Ethnica Pubes
[Robur Quiſque ſuæ Tutelaque maxima Gentis]
Veſtimenta Mihi calido infecere cruore;
Sicque Paludatus, *dibapho* circumlitus Oſtro
Sanguinis *infeſti* evaſi: *Nunc* quandò tremendæ
Debita vindictæ *Tempeſtas* venit in Hoſtes,
Atque *Statutà* MEIS Redimendis *Æra* Salutis
Zelotypo, fervore pari, Mihi *corde* reſedit.
Quin *Circumſpicienti* oculis, cum nullus amicum
Attulit auxilium, obſtupui: Quod Nemo *levatum*
Subſidiis leniret *onus*: Tulit ergo Salutem
Nullo in ſuppetias Proprius veniente Lacertus,
Meque ſat exſtimulans incuſſa ſeverior ira
Sola in tantum armavit opus: Quo percitus œſtro
Sic demum rigidis protrivi calcibus Hoſtes,
Et velut epoto temulentos IPSE Meraco
Bile meâ effeci; Pugiles *Gentilia* lectos
Robora, in abjectam Proſternens Cernua Terram.
Ca. 59. 20. Aſt *TZIJONI* adero *VINDEX* ad vota citatus;
Illis nempè Animis, quibus, alto è corde revulſâ
Nequitiâ, oblatum ſpirant præcordia CHRISTVM.

ZACH.

ZACHARIÆ à v.7: Capitis 13: ad finem CAP. XIV.

EVigilato MEVM in PASTOREM (O Mucro), *SODALEM*
In NOSTRIQUE VIRUM, PASTOREM occide, Vagæque
Diſpergentur oves: vertam ſed ad Hoſce puſillos
Tutricem IPSE manum; namque omni obtinget in orâ
Sortitæ Regionis ut exſcindatur ab Illâ
Intereatque *Duplex*, & Tertia Sola ſuperſtes
Pars Tellure ſacrâ permanſerit, inquit IOVA;
Hancque per ardentem ducens valido Igne Catinum
(Funditur ut liquefacti Argentea Maſſa metalli,
A Scoriiſque probum reprobis ſecernitur Aurum)
Conflabo, excernamque MIHI; *Sic* ME prece purâ
Compellabit, amica feret Reſponſaque; Dicam
Hic MEVS eſt POPVLVS, reſonabit & ILLE viciſſim
(ANTIPHONVS,) DEUS ecce MEUS *nunc* IPSE *JEHOVA* eſt.

ZACHARIÆ CAP. XIV.

EN Segregans venit *ILLE DIES* (*properanda JEHOVÆ*)
Quando tui in Medio ſpoliis in membra diremtis
Sortitò in Partes cedent Raptoribus æquas;
Quippe EGO collectas diverſo è ſtemmate Gentes
Diſponam contra Alta *Hieruſcalaima*; JEHOVÆ
URBS quibus expugnata cader, domuumque potentum
Diripientur opes; raptas vis improba matres
Comprimet, *Intactoſque* ſinus; & Parte fugatâ
Civium in Exilium, Reliquis Fas eſſe Politis
Uſque habitaturis; Namque *illâ à Clade JEHOVA*
Se excutiens, contrà Populos, perdendaque *Strage*
Agmina depugnabit Atrox, & Tela prehendens

Cuncta

Cuncta acuet, Quibus unquam aliàs certamine ſævo,
Infeſtas acies, Capita Execrataque ſtravit,
IPSIUS atque Pedes ſteterint ubi Fine propinqua
Montis Olivarum (quâ Parte Orientis ad Urbem
Proſpicit;) Extemplò Medius Mons, verſus *Eoam*
Occiduamque plagam, latè diffiſſus ad Imum,
(Limite dividuo) diſceptis cedet utrimque
Partibus, hincque *Auſtrale* latus (contrarius) illinc
Et *Boreale* petens *Medianam* in Chaſmate Vallem
Liquerit; Hoc Viſo (*motu primore*) trementes
Voſque etiam ſancti Cultores, Montis hiatu
A *Gemini* (ſimul *AUGUSTUS* calcarit IOVA)
Contento curſu fugietis, aduſque Sionis
Et juga *lecta* (Locum TEMPLI *Acceptabilis*) icti
Relligione piâ properabitis, haud minus acti
Præcipites, quàm olim Terræ formidine Motûs,
(*UZZIA* obtigerat Qui tunc regnante) ruiſtis;
Turbati ſed quanquam Animis, at adeſſe Benignum
Ad pia Vota DEVM confeſtim agnôritis, OMNES
Et (TIBI JAH VENERANDE) admotos undique
SANCTOS.

Porrò contigeritq; ſub illud Tempus, ut *Aurea*
Diſparis haud fuerit (radiis nunc *aurea* puris
LUX, modò *ſubluſtri Caligine denſa*) ſed VNVS
Continuuſq; Dies effulſerit, IPSE perenni
Fomite Quem paſcet, ſtudio agnoſcetque JEHOVA,
Non vicibus diſtincta ſtatis & LVCIS & VMBRÆ;
Namque erit ut ſpacio quo jam nigreſcere *VESPER*
Debuerat ſolitus, ſtabilis ſtet in Æthere ſplendor.
Quin & inexhauſto Solymææ è Fomite Venæ
Per Tempeſtates, nullo diſcrimine, cunctas
Proſilient Vivi Latices, ierintque per AGRVM
DAVIDICVM: vi dimidiâ ſalubris Aquai
In mare Lethiferum, reliquo & volventur acervo
Occiduum in Pelagus, Tractum alluerintq; *JEHUDÆ*
Amne ſalutifero; cunctiſque *ibi* rex erit Oris
Subjugis Imperii *DOMINUS*, fueritque *IEHOVA*
UNICUS Huic Populo, ſed *NOMEN* & illius *UNUM*,
SOLUM agnoſceturque die & celebrabitur illo.

Quin-

Quinetiam (Remoris totâ è Regione remotis)
In Campeſtre Omnis Tellus ſubſederit æquor
A *Gibbæ* Boreæ metam in *Rimmonis* ad Auſtrum
Turrigeræ *Solymæ*; tantùm VRBS ſublimis in altâ
Extiterit Statione micans, *Pomœriaque implens*
Priſtina, erit toti *PHARVS* in ſpectacula Regno;
Illâ & fœlices habitabunt ſede coloni,
Exitio nec erit porrò execrabilis ullo,
Nam ſecura ſuo reſidebit in Aggere *SALEM*.

Hoc & erit Populos *quo* JAH malè plexerit omnes
(Qui denſis *Solymæ* ingruerint in Prælia turmis)
Supplicii *genus*; in carnes cujuſque liquentes
Immittet tabem (*prius ac decumbere poſſit*)
Cruribus ut ſteterit rectis; oculique putreſcent
Effluidi è loculis, & marcida Lingua Palato.
Quin *Divina* Animis illabens deſuper iſtam
Colluviem committet *ERYS*, nam Quiſque prehendet
Alterius jugulum; alternâ facientque ferentque
Vulnera adacta manu; Civilibus hiſce Duellis
TVQVE ſuperveniens pugnax, abs Vrbe, JEHVDA
Collides rabidos (Percuſſor) opeſque coactas
Circumquaq;, (Auruu, Argentum, Veſtiſq; gravem vim
Gentûm exutarum) tibimet ſpolia ampla parabis.
Conſimilis ſed & *Illi* Homines quæ perdet, & Ipſos
Quadrupedes Plaga interimet quoſcunque Malignis,
(Flagitii Inſtrumenta ſui) per Caſtra repertos.
Quin erit ut Quiſquis cunctis è Gentibus Alta
In perdenda ſtetiſſet Hiruſchalaima, (ſuperſtes
Tunc fuerit) conſcendat ad ILLA quibuſlibet Annis,
Pronus ut auguſtas ſe incurvet Cultor ad Aras,
REGI EXERCITVVM JAH præſtaturus Honores
Legitimos, Feſtum SCENARVM & ritè celebret.
Sin Aliquis quocunque vagæ de ſtemmate Terræ
(SACRORVM Contemptor) ad Alta Sacraria *SALEM*
Abnuerit ſe ſuppliciter conferre, ſolutum
Debita adorando Cultûs Præſcripta JEHOVÆ,
Supplicium eveniet tanti in ferale Reatûs
Vt ſuper haud ſtillet *maledictum*; *Hunc* cœlitùs Imber;
Sin fòrs abnuerit Stirps Ipſa Ægyptia (Quam non

Irrigat

Irrigat imber Humum) greſſus efferre prophanos
Ad juga contendens Montis convexa (Viatrix)
At non defuerit (Reprobis) anguſtia *Compar*
Illi Quam intulerit prior execratio, Gentes
Quâ male morigeras affecerit Ira JEHOVÆ,
Quæ non SCENARVM celebratum Feſta quotannis
Adveniſſe volent; Ægypti *Hæc* Pœna rebellis,
Hæc, ſimili Gentûm Conſtrictarumque reatu,
Quæ non ad SCENARVM iêrint Solennia juſſæ.
Quadrupedum ſuper ipſa & Tintinnabula, tunc *Hoc*
Inſcribetur *Epos*; SANCTO SACRA VASA JEHOVÆ;
In toto Inſtrumenta & erunt viliſſima Templo
Vt ſacri Crateres coràm Altare JEHOVÆ.
Immò per integram *Solymam*, *Solymæaque* paſsim
Imperia, Olla DEO fuerit (Diſcrimine nullo)
Quævis *conſecrata*, & ſacrificator ad ipſas
Quilibet adveniens, *ex his* deſumſerit, aptis
Contuleritque Miniſteriis, nec Tempore ab Illo
In TEMPLO ulteriùs (*Virtute Inſignis*) IOVÆ
Intererit Quiſquam è Cananæâ Fœce Colonus.

ZACHARIÆ CAP. XIII. *adv.* 7.

ARGVMENTVM.

Hactenùs Obſtructum FONTEM *DEVS expedit, aptum*
Purgandiſque Piis, Expurgandiſque nefandis,
Sive cerebroſis, præſumpta in Dogmata, Myſtis.
Errores retegit, Perſonis pallia demit,
Præ Synodo ſiſtit, Fraudes ſubigitque fateri,
Pro Merito plectitque vigens Cenſura, Malignos
Quo *tollit* Medio, *revocat curatque modeſtos.*

EN iſthâc aperiri à Tempeſtate Fluentum
Cœperit emundantis Aquæ, *in* Stirpiſque *Lavacrum*
Davidicæ & Plebis *Solymæia* Caſtra colentis,
Utile purgandis Peccantibus [impia ceu Quos

Facta

Facta pio cœtu ceu quis ſegregaverit Error]
Evenietq; Illâ (DOMINVS ſic fatur) ab Æræ,
Vana timoratas ut conſternantia mentes
Terricula, è Terra exſcindam radicitùs Iſtâ;
Vſque adeò omninò execranda ut *NOMINA* ſtirpi
Immemori exciderint, mendacemque IPSE *Prophetam*,
Spiritum & impurum caſto de limite tollam.
Quin erit ut ſiquis porrò Enthuſiaſta prophetet,
Dicat uterq; parens; *Noſtri O peritura Propago*,
Non equidem ulteriùs Victurus Falſa refundis
Dogmata (Sacrilege) in Veracis Nomine IOVÆ.
Nec mora! lethifero transfigent Enſe Parentes
Dira prophetantem *Necromantim*! Ità morte futurum eſt
Opportunâ alios *facili* ut magis Indole Vates
Pœniteat ſtudii infauſti, ſua Viſaque Quiſque
Oderit, inſano quæ divinavert œſtro,
Villoſâ nec porrò togâ Mendacia celet,
Dicat at (ingenuus) *nativæ* redditus Arti,
Non Ego ſum *VATES*, tenuis ſed *Cultor* Agelli,
Scilicet huic operi teneris aſſuetus ab annis:
Sin Aliquis Reſponſator replicaverit, *urgens*,
Verum Hæc undè tibi manibus data Stigmata læſis?
Extemplo referet, *Vero haud ſine Numine, mitis*,
Hæc mihi ſunt incuſſa ab amicis vulnera Sanctis.

ESA.

ESA. Cap. LX.

ARGUMENTUM.

Quæ malegrata DEI diſceſſit Apoſtata Cultu,
Prævia nunc Aliis adituris *Lampada præfert,*
Et ſtupet exhauſtam Grege recrebreſcere Terram;
Quæque arſere priùs flammis Gentilibus Urbes
GENTIBUS, has iterum Extructas ſupereſſe, Miniſtris,
Nec SACRA jam ficto *ornarique SACRARIA Zelo;*
Non Aurum in Scorias, verùm Æs nunc migrat in Aurum,
Sequior in meliùs Sors procedetque; rubebunt
Nullæ Cæde Manus; ſed enim Violentia totis
Exulem aget Metis, vel in Exactoribus Ipſis:
Quiſquis in primævum inſtaurabitur Ordo Decorem,
Fugiter & Sacram *herciſcet Gens Integra Terram,*
Traduceque innumero mixos ſoboleſcet in auctus.

ERige te (ſpecioſa) almo inclareſce Nitore;
Nam tuus eluxit diſcuſſis *PHOSPHORUS* umbris,
Atque exorta DEI tibi Gloria fulſit ab Alto.
[Fœlix ſorte tuâ] piceæ latera omnia Terræ
Nox circumvolitat, craſſas gravis undiq; Gentes
Et caligo premit; ſed, te ſuper, *IPSE IEHOVA*
Inſolito exoriens circumſpicietur Honore,
Adque Facem veſtræ incedent Gentilia Lucis
Agmina, & illuſtris *REGES* quoque Fulgur ad Ortûs.

Quin age; tolle oculos Mihi circumquaque levatos
Diſpiceque (Arrecta); en tibi ſe conceſſibus iſti
Grandibus agglomerant cœtus, tua tecta frequentes
Advolitant, longinquo adeuntq; è climate Nati,
Et latus ad tenerum Natæ ſiſtentur Alumnæ.
Tunc metues (*contracta*) exinde effluxeris inſtar
Fluminis egreſſi; tremet, exſpaciabitur at mox,

Motibus

Moribus ambigus parens cor, quando *ſtupenti*
Ipſe *tibi* Oceani fremitus mutabitur ingens
Tranquillam in Faciem, ſtudio Genteſq; lubenti
Ad te *vimque* ſuas ſatagentq; advolvere *gazas*.
Turma Camelorum Campo effundetur aperto
Plurima, Curſores & equi *Midianis*, *Ephæque*;
Omnis *Arabs* Laudes, feret omnis Dona *Sabæus*
JAH DOMINO; Obrizum, Thus, omnigenaſq; coactas
Confertim Pecudes, *Nabathæis* Agmina clivis
Aſſuefacta, meas ultro aſcendentia ad Aras
Ritè miniſtrabunt MIHI, & *acceptata litabunt*
Quandò DOMVM ORNATUS ornatam oſtendero NOSTRI.

Vndèſed advolitant ISTI, (Numeroſa Synaxis)
Ceu levibus pennis tranſvecta per æthera Nubes
Denſa Columbarum, proprias aditura feneſtras?
Omnis namque Meum expectaverit Inſula nutum,
Oceani imprimis *Celeres* ut præpete Natos
Remigio (longinquâ olim Statione remotos)
Approperent Noſtri vehere in Penetralia Regni
NOMINI adorando Donaria Sancta JEHOVÆ,
IZRÆLISQUE DEO, cum veſtrum Auctarus Honorem eſt.
Atque Alienigenæ Muros à Labe refectos
Certatim Tibi conficient, Horumque Tyranni
Sponte Miniſteriis incumbent, Alma, TUORUM;
Nam te Animi quamvis æſtu percuſſero læſi,
Vt tamen agnoſcas cladis miſereſcar acerbæ,
Officiis præſtabo novis: *Erit* ergo patentes
Jugè Tuæ ut fuerint Portæ, neque *Clauſa*, *Volentes*
Se Cives inferre Die vel Nocte, vetabunt
Oſtia, quò Tibi Vis Populorum & Gloria cedat,
Et Tua ſubmiſſi captent Pomæria Reges;
Nam tibi quod regnum obſequium, Imperiumque reluctans
Natio detrectarit, atroci clade peribit,
Et vaſtabuntur præfractæ Anathemate Gentes.
Nunc & opes Libani Tibi, Magnificentiaque ingens
Aſſurgent; Abies, Pinuſque, Vmbroſaque opaci

Quanta

Quanta patet tibi ſcœna Jugi, MEI ut Iſta ſupellex
Magnifico ornatu decoret latus omne SACRARI,
Et loca *ſancta* pedum cohoneſtem inſtrata Meorum:
Teque inclinato affligentûm innoxia Proles
Vertice adorabit, Gens & modô turgida faſtu
(Quæ veſtrum ſprevit Populum) advolvetur ad ipſas
Sponte Tibi plantas (ſupplex) atque ore refincto
Geſtiet *hinc* URBEM te compellare JEHOVÆ, (matam.
Nec non *TZIIONEM SACROSANCTI IZRÆLIS* A-
Proque eo in *Abjectis* quòd eras, & ab omnibus *Oſis*,
Vſque adeo ut Peſtem quaſi Quiſque refugerit atram,
Nunc EGO te æterno contrà illuſtrabo Decore,
Atque *Perennis* eris per ſæcula cuncta *voluptas*.
GENTVM lacteolis *Tenera* exſaturaberis obbis,
Vberaque *Altorum* ſuges ſpumantia Regum;
ME SOTERA Tuum *ſic* experiere JEHOVAM,
Te *Diris* prohibentem, Acrem Athletamque JACOBI.
IPSE tuis benedicam opibus, potioraq; Primis
Dona *ſecunda* feram, proque Ære elargiar Aurum,
Pro Ligno Æs rutilans; Saxis, Mineralia Ferri
Vilibus, & *Populi* diſponam in amabile Pacis
Præfectos ſtudium, Exactorumque Tributi
IVSTITIÆ ad ſanctam effingam Præcordia Normam.
Non equidem ulteriùs crudo VIOLENTIA rictu
Pacificâ tellure fremet Ditionis amœnæ,
Fine nec innocuâ Interitus graſſabitur atrox,
Truxve Rapina palàm; ſed enim *Cognomine vero*
Mœnia veſtra *SALUS* dicentur, *IUBILA* Portæ.
Non ibi Luminibus rutilabit SOLVE diurnis,
LUNA vel accendet funalia pallida (Noctu;)
Solus at (*Alma*) tibi æternâ pro Luce IEHOVA
Sufficiet, quin creſcentes complebit Honores
Et *DEUS* IPSE tibi; Occiduas non verget in Umbras
SOL Tuus ulteriùs, nec amœnum LUNA Nitorem
Retrahet in ſeſe; DEUS *His* ILLUSTRIS *abortis*
Lumine continuo exſurget tibi PERPES EOUS;
Fixaq; præteriti cedent in Gaudia Luctus;
Iuſtaque Gens Populi fuerint Examina veſtri
Iugiter; idcircò *Hæredum* quoque *Jure perenni*
Eximiæ Telluris amœnâ ſorte fruetur;

Nempè, MEO *Hæc* cultu ſuccreſcens PLANTA, Mearum
Pulchrum & OPUS Manuum, Noſtrum ut dilatet Honorem.
PARVVLVS in numeroſum adeò ſe fundet Acervum,
Illorum minimuſq; in Gentem erumpet opimam;
Tolle Animos (Mea Gens) EGO verax namq; JEHOVA
Has properabo SVO (*Primo quoque*) Tempore ſortes.

ESA. CAP. XI.

ARGVMENTVM.

Expouit CHRISTVM, cunctoque Churiſmate dotat
SPIRITVS, ad juſtam regat Almus ut Omnia libram,
Pectoraque in placidam ſubigat Dii cordia Pacem:
ILLE gravem ſtomachi Afflatum compeſcet atrocis
Dijectæ Gentiſque Animorum Schiſmata ſuavi
Vinat Inſtinctu, Socialeque cogat in Agmen
Chriſti colarum Hoſtes Vnis Quod *ſubjuget Armis,*
Nec ſe dilaceret Pharii in Sarcaſma cachinni.

FXin JESSIACO ſoboleſcens VIRGVLA trunco
Iamjam Occumbenti, annosâ de ſtirpe vigebit,
Cœlumque attigerit ramis frondentibus ARBOS;
QVAM ſuper Ætherei deſcendens Orbibus (alis
Ecce Columbinis) ſummo ſe Vertice ſiſtens
SPIRITVS, æternâ requieſcet ſede, JEHOVÆ,
(ARBITER omnigenæ charitis) per pectora fundens
HVIC SOPHIAM, Gnaræ Conjunctam Munere Fibræ,
CONSILIVM valido coaleſcens ROBORE; LVMEN
Mente *Scientificum*, REVERENTI in Corde JEHOVÆ
Suavè micans; Quibus Auxiliis aſſueſſet acuto
REBVS odoratu, ſpecie haud correptus *inani*
In leve JVDICIVM, Viſuque parabile Carnêo,
Auribus infido (Fòrs) aut Rumore relatum,

Linguæ

Linguæ confictove dolo: Haud examen ad iſtud
Cenſuram rediget Criticam, verùm Auſpice fretus
Relligione, metuq; DEI *ſic* Pauperis æquam
Aſſeret IPSE Dicam (benè cognitione peractâ)
Corripietque *Bonos etiam* (Diſcrimine facto;)
Aſt ſceleratam Oris *lethali* verbere Terram
Percutiens, PRAVVM Labiorum afflatibus atris
Morte gravi ſataget proſternere (Fervidus Vltor)
IVRE ſinus Cinctus, Stabili & Præcordia VERO.

Tunc Lupus in Mediis inſons habitaverit Agnis,
Nec tenerum accubitor Pardus tremeſecerit Hœdum;
Quin & erunt Vitulus, Leo, Grex atq; Altilis unà,
Invalidique (humiles) venient ad frœna Puelli,
Vrſaque manſuetâ fuerit compaſcua Vaccâ,
Vtraque communi accumbent ſocialiter arvo
Matrum inimicarum (modò) ſemina; Jamque Leonî
Cum Bove ſufficiet paleatum in pabula ſtramen,
Atque jocans Lactens poterit ſe credere tuto
Aſpidico ſpecui. Stabulat quo Hæmorrhois antro,
Ablactens impunè manum demiſerit Infans.
Nil nocuiſſe Animæ, nil corrupiſſe benignæ
Damnosâ improbitate volent in Limite ſancto
MONTIS inoffenſi: ſed enim Pandemica pacem
TERRA colet; Totam quia plena ſcientia cultûs
Conteget *Hanc* NOSTRI, expanſum velut Æquors undæ.
Quin fueritq; illud ſub Tempus ut ad DECVS Ingens
Quod de Jeſſiacâ Radice emerget (ad Omnes
Ceu SIGNVM elatum Populos) è qualibet orâ
Circumquaque omnis ſacrâ ruat Impete Tellus
MYSTEM conſultura Suum, REQVIESQVE coruſco
Fulgeat ejus Honore micans; cum nempè *ſecundam*
Exaltabit *IOVA* Manum, in ſua Regna receptas
Relliquias Populi ut quâqua Tellure reducat;
Aſſyriâ, Ægypto, Pathroſique, Æthiopumque
Fractibus æſtiferis, *Elamitide*, SANGARÆ & Alto
Planitie admotâ; Chamathâ Libanoque propinquâ;
Obtentiſque mari regionibus; atque levato
Vexillo Populis, TERRARVM ubicunque vagantes
IZRÆLIS Profugos ſtirpem ſparſamque JEHVDÆ

Aggreget, Aggeſtos cunctiſque reſumat ab oris.
Invidiæ & fibris *Ephræmi* è corde revulſis,
Servatæ exciſis Inimicis atq; *Jehudæ*,
Haud ultrà tendent odiis, Furiiſq; malignis
JVDÆ Progenies, *Ephræmitæque* viciſsim;
Ambo *Philiſtæorum* humeris verùm impete dirâ
Involitent, verſus Zephereia littora; & unà
Spectantes Populos Orientia Limina *Solis*
Diripiant, Hoſteſque truces *Moabitas*, *Idumeſque*
Indigenas manibus rapiant in Vincula crudis,
Jamque, Jugum patiens, Servilis pareat *Ammon*.
Funditus exſcindetq; Freti, Vi inflante, *IEHOVA*
Linguam *Ægyptiaci*; violenti Turbinis ictu
Dextram demitteq; in aquoſi Flumen Acervi,
Increpitante ſono; ſeptemfluaq; Oſtia (clangens)
Percutiet, media Vndarumque per Agmina SANCTIS
Calceolis invadere iter dabit (Aggere miro;)
Nam *Populi* novus Agger erit (*quacunque reverſi*)
Relliquiis Phylacâ Reſtantis ab *ASSVRE*, & omni
Nupero ab Hoſpitio; velut olim contigit ortæ
Fonte JACOBÆO Soboli, Quandò Ipſa (VIATRIX)
Planitie è *Phariâ*, *CANANÆAM* aſcendit in Altam.

HAB.

HABAK. Cap. II.

ARGVMENTVM.

Aure vaporanti Reſponſum lene *JEHOVÆ*
Præſtolatur; Adeſt Vati; ut ſcribatque Tabellis
Oraclum lectu facile, Eventumque moretur
Præcipit (haud dubium) *CHALDÆI exindè recenſet*
Congeriem ſcelerum, Neneſimque Reatibus æquam;
Mox conjertque ſuis diſtincta piacula pœnis:
Immanem demùm, Nebrodi è ſtirpe, Leonem
(Funibus implicitum) quaſi vis venatica Gemûm
Conficiet terro e g avi; Hinc ubicunque Silendum
Terra·um uſque ſacrâ quod Jah *ſedet Æde Dynaſtes.*

PErcipe, Grex abjecte, quid explorator ab Alto
Porro NOVI; Excubiis exercitus, ut mihi curæ
Commiſſæ inſtiteram, in ſpeculam me contuli, *amicè*
Sollicitus mihi quid demùm eloqueretur hianti;
Poſt objurgatum, *me corripiente*, JEHOVÆ
Præcepto, populum; tandem Hæc emiſit ab ore
Læta ſuo. Heus age jam! Viſum mihi confer & iſtud
In Tabulas (ſcriba admotus) ſed & exere plano
Chirographo, atque Notis *manifeſtis* ora virorum
Agminaq; in media, ut quiſquis pede præpete curſor
Tranſeat, Hæc oblata legens intelligat; Iſthæc
Viſio namque ſtatum in Tempus dilata fileſcet,
Fine ſed impleto verax effabitur; at ſi
Lenta moras agitet, quin præſtolare *fidelem*,
Certò aderit, celeri Eventuque ſilentia rumpet
Tempeſtate ſuâ; Interea *Hoc* tibi percipe (Vates)
Atque *Tuis* perfer reſponſum: *En Turgidus omnis*
In clivum Qui mole exſurgit Hydropicus ægrâ
(Non Animæ ſolidâ virtute) ut bulla repentè
Solvitur, uſque FIDE ſed vixerit auſpice *JUSTVS.*

HIC faſtu turgens vitreo, Phantaſmate læſo
Peccat ut Ecſtaticus, cerebrum ſuperante Meraci
Flatu, *Fine* ſuæ nec *deſultorius* angi

Suſtinet Ille Domus; ut edax, *ſine fine*, Sepulchrum,
Mortis & ingluvies, ſpacioſi immane barathrum
Elaxat Deſiderii (haud obſtante vel omni
Fomite) inexpleti; arripiens ſibi cogit & omnem
Congeriem Populorum; Annon tibi acerbiter *iſti*
Inſurgent, nudis, procul omni ænigmate, verbis
(Mordaci Aſpidicas ſtringentes ſcommate linguas)
Hoc & ab ore in te emittent Sarcaſma protervo?
Væ væ Homini accumulat qui non ſibi debita raptim;
Ergo quouſque Velis cumulis te onerare ſepultum
Spiſſi *inſane* luti? Quid! celeri annon impete ſurgent
Qui nigro te dente petent, qui atrocibus angent
Litibus implicitum, ſtomach, qui damna maligno
Inque tua incurrent? Immo tu *jam ipſe viciſsim*
His mera continuæ fueris vaſtatio prædæ,
Et quia depopulans Gentes *homicida* dediſti
Innumeras denſos miſerandæ in ſtragis acervos,
Relliquiis idcircò Hominum tua Funera debes
Certò perſolvenda, Humanæ ob cædi opimas
Omnigenaſque ſtrues, nec non immania Terram
In *Sanctam* commiſſa, *Urbemque*, *Ejuſque Colonos*.

Væ lucrum domui propriæ exitiale futurum
Quærenti ſitiente animo, *Sic* ut ſibi Nidum
Structor inacceſſum ædificet, quo damna maligni
Scilicet evitet (caſûs) ſtratagemate *tanto*.
Quæ ſtirpi in probrum cedent iniiſſe volebas
Conſilia, in funeſtum animæ propriæque reatum;
Nam domibus, ſtructor malus aſtrusiſſe ruinam
Ædificando tuam, numeroſis contigit; hinc è
Macerieque lapis tibi conſcius Ipſe rapinæ
Ejulat, antiphonus querulaque è Fornice nodus.

Væ celſam intrito attollenti ſanguine Turrim,
Atque Vrbes injuſtitiâ ſtabilire *caducas*
Tentanti infauſto molimine; Nonne JEHOVA
Objigit Authore, ut rapido velut ignis in æſtu
Nequicquàm inſudent Gentes, & niſibus ægræ
Futilibus jacturam operæ patiantur inanis?
GLORIA ſed CVLTVS ubi proficit Alma JEHOVÆ,

Fructi-

Fructibus uber Ager circumfluit auctus opimis,
Stagnat ut offusis adopertum Fluctibus Æquor.
Væ putidâ Vicino adhibenti fraude Meracum!
Væ TIBI (Molliculo) è plenâ Qui porrigis utre
Dementes Cyathos, his sese ut inebriet haustis
Proximus, expositumque ejus tueare Pudorem;
Gloria clara tibi jam evanuit, Obrute vili
Opprobrio; quin *Tu* furientem *Potor* & Obbam,
TU SCELUS exhauri; vestrum retegatur apertum
Præputiumque palàm: divertet ubi Amphora Dextræ
Ad te plena DEI, in Vomitum tua Gloria cedet
Syderea indecorem; crudelem *Te quoque* crudi
Immanis Libani vis obruet; sævaque qualis
Exanimat Terrore Feras Vastatio; Te, Te
Vastatorem Hominum tremefecerit interceptum
Ultrici POPVLORVM indagine; sanguinis *Ergò*
Humani, in sacram & facta ob crudelia Terram
Vrbemque egregiam, exsortes ejusque colonos.
Nàm quâ demeruit solertem SCVLPTILE curam
Artificis fabri, conflatum aut FVSILE (*Doctor*
Figmenti tacitus) *stolide* ut conflator ineptus
In *stupidum* confidat opus, cupiatve *loquaci*
Muta idola manu ad vivum confingere Plastes?
Væ cui *Querno operi* DEVS EXPERGISCERE dicat,
Et Lapidi Excordi *Evigilato ô* FORTIS; at Ille
Ecce Lapis, stipesque *patet*, *Reque* edocet, (ore
Vt sileat *Vano*) tectum se Plasma vel Auro
Esse, vel Argento, haud Animæ spirante recursu.
JAH sed in ÆDE SVA est Habitator Perpes; at *EIVS*
Tu, *præ Religione*, sile Pandemica Tellus.

Quarta pars
DIATRIBES;

Prologus ante Hymnos ſequentes:

Audiſtin, Cœleſte Melos, & amœna Salutis
Jubila promiſſæ? quin corde fidelia *fido O-*
RACLA fove, & BRAVIO SPE nunc *aſſueſce* futuro
FILIA, SPONSA, SOROR, DOMINI CURA
UNICA CHRISTI.
Jam *VERBI exciſa eſt* Decumanæ *Peſtis ERINNYS*
ANCIPITI GLADIO, Plagâ cadet Hincque *realis*
En Diploma ratum *Necis & ſententia dictæ;*
Os Atrore modò *imbutum, nunc* Luce ſerenum
Erigite, & melicos Ipſis vel ab Ignibus *Hymnos*
Tolle, SALUTIFERI præ MAJESTATE JEHOVÆ.

TUnc deſerta, ſuis & inhoſpita Teſqua Colonis
Paſsim lætabuntur, & Os deformis Eremi
Dulcè renidebit; Pulchris & honore roſetis
Æmula decertans vegeto proceſſerit auctu
Suavis Amabilitas, deerunt neque plauſibus Hymni
Lætificis; En Libanicæ *Nova* gloria ſcœnæ
Excultiq; Arvi *viror* & *campeſtris* Opimi
Scharonis dabitur *Squallentibus*, atq; videbunt
Expoſitum Ornatum, Majeſtatemque JEHOVÆ.
Tum recinent! Vos O (Secli Incrementa beati)
Confirmate Manus trepidas, & Genva viciſsim

Succi-

Succidûa alternis ſtabilite hortatibus (Almi)
Dicireq; *Abjectis* ; rebus date fortia duris
Pectora, degenereſq; metus ſpe vincite celsâ :
Ecce ſuperveniens aderit DEVS, impiger Vltor
Sævitiæ hoſtilis, ſævæ Retributor & iræ ;
Sed Pugil in veſtram accurret Vindexque Salutem.

Tum priſci hærebunt veſtigia ſiqua reatûs,
Extemplo abſcedent; inſtaurabuntur aperti,
Quêis modo clauſi oculi, patefient Agminis aures
Surdaſtri illæſis anfractibus, & pede *Claudus*
Tardigrado, *levis* ut ſuper *integra* gramina Cervus,
Alipedi ſaliet talo, *Mutuſque* ligatæ
In Pſalmos alacres ſolvens retinacula Linguæ
Hæc canet ; *Immiſſis jam concreviſſe Fluentis*
Syrtis arenoſum ſabulum, Torrentia Eremo
Et ſtagnaſſe Vada, irriguis manaſſe ſcatebris
Arentemque æſtu Tellurem, antriſque Draconum
(Quo libuit Cuique effuſo ſtabulaſſe cubili,)
Gramineam ſegetem cum junco & arundine naſci.
Semita eritque illic, regione aggeſta ſupinâ
Quæ VIA SANCTA cluet, fœdè degentibus Illam
Pertranſiſſe nefas; ſolis ſed tranſitus *Iſtis*,
Et limes ſignatus erit, nulluſque Viator
Indigena, (ingenio quamvis defectus acuto)
A Fine excurrens erraverit Ille ſtaturâ.
Non ibi graſſator rugiet Leo, ſæva Ferarum
Semina nec rabido, juga raptu infamia, rictu
Prædatum aſcendent, *totâ* ditione ſacratâ
Belluave invenietur atrox ; ſed Limite in illo
Libera ſecuris gradietur Natio plantis.
Advenienſque manu Gens forti erepta JEHOVÆ
Gentibus è mediis, ſublato in Jubila cantu
Ad ſperata *ſui* properabit Caſtra *SIONIS*
Lætitiâ Caput offuſa, elatiſq; triumphans
Plauſibus, (anxietate omni & mœrore fugato)
Gaudia ſyncerâ retinebunt ſorte Beati.

ESA. Cap. XXV.

TU mihi Magne *JEHOVA DEUS*, Te Carmine pangam,
NOMINIS atque Tui faciam increbreſcere *Præco*,
Virtutes, Laudeſque palàm, Magnalia miris
QVI profers *in Aperta* modis; Tua prævia ab ævis
Conſilia haud VERO veracia ſunt minus Ipſo,
Fida Fideve magis; TV vaſtis oppida mutas
Ruderibus, famoſam *inſigni* ex Urbe ruinam
Structuris facis exciſis, Regnique potentis
Metropolim, ingentem aſſignas Erronibus aulam
(*Sortitor*) nullos reparandam exindè per annos:
Ad genua ergo potens *modò* Gens, *nunc vilis* adorat
Verberibus proſtrata Tuis, reverentur & VRBES
Suppliciter Populi TE formidabilis; Ægis
Quod fueras protenſa *Inopi*, Munitio *Egenti*,
Arctiùs *objeſſum* quandò *Hunc* anguſtia ſtringens
Vincierat; *Nudoque* à tempeſtate Receptus
Cum gravis ingruerat Murum everſura Procella;
Umbraque, quæ *Feſſo* nimium refrigerat æſtum.
TU quando (velut accenſos in Syrtibus ignes,
Solis & ardores compeſcens tegmine aquoſo
Nubis adumbrantis) reduci *Sic* Pace reductâ
Straveris emotos peregrino à Marte tumultus,
Præſtitor opportunus *opis*, *quæ* ad Vota *Tuorum*
Reſpondet, per quam *Violenti* ar planta relanguet.
Illâ Tempeſtate Epulum Hoc in Monte JEHOVA
Rex Exercituum Cunctis pro Gentibus *ingens*
Munificum ornabit, Mediiſq; petita ſaginis
ALTILIA (irriguis *ſtillantia dulcè* medullis;)
Fœcibus amotis Vina Exquiſitaque (Craſſis
Vina ſedimentis benè defœcata) ſalubri
Expoſita hìc curâ, denſo coram Hoſpite, ſiſtet.
Hoc & Monte JEHOVA; Epuli genus! Omnia velum
Craſſitie obnubens præcordia deſtruet *almo*
Munere, *ſic* gratâ Convivas Luce redonans;
Quin ibi clanget *ovans*, rapientis & omnia Mortis
Diripiet

Diripiet ſpolia ampla, *Ipſam* inſignique triumpho,
Vltor inexpletus, rabie abſorbebit arroci;
Plangentum ſed enim lachrymas miſeratus obortas
Candidus abſterget faciebus ab omnibus, ingens
Opprobriumque Sui Terrâ Summotor ab omni
Arcebit Populi, Nam Sic edixit IOVA.
Tempore demum illo reſonabit & Iſte Triumphus;
En! NOSTER DEVS HIC! præſtolabamur *Opertum*,
In noſtram Vindex que *eluxerit* ILLE ſalutem
ISTE JEHOVA; diù QVEM nos ſperavimus (ægri)
Illius, Vſque hilares, lætabimur *inque* Salute;
Namque *Hoc* Monte Manus reſidens expanſa *JEHOVÆ*
Proteget Auſpiciis; *Moabitaque* quilibet imâ
Stratus humo, obtritus pede conculcabitur omni,
Ceu palea in ſtercoſum abiens ejecta fimetum:
Vtque natans latè paſſus utrimque lacertos,
Sic porrecta, in opus Vindictæ, Brachia pandet
Colluviem inter Mediam DEVS, atque ſuperbos
(Cum Manuum exuviis) pariter demittet ovantes;
Sydereaſque Arces vicinaque Mœnia cœlo
(O Inimice ferox ſacroque infeſte Sioni)
Mox proſternet humi vaſtis dejecta ruinis,
Adque Solum rediget, protriti & pulveris æquor.

ESA. Cap. XXVI.

TEmpore demùm illo ſed et Hic cantabitur Hymnus
In JVDÆ Ditione Sacrâ: Inſtructiſſima nobis
Obtigit VRBS; IPSAMQVE in propugnacla SALVTEM
Clauſtraque conſtituet DEVS; Eia recludit Portas
(Æditui) quo Veſtibulum ingrediatur apertum
Natio *Juſta* Fidem ſatagens ſervare tenacem;
Tuque *viciſsim* altâ DEVS *Hunc* in Sæcula Pace
Munieris, rotâ quoniam in TE mente recumbit.
Fidite iò, Terrarum eriis quacunq; JEHOVÆ,
Quin agite in FIDVM ærernùm confidite; Nam JAH
Perſtat inexpugnanda ævorum in Sæcula RVPES;
[Non ita perſugia at Populorum deprimit altæ

ILLE

ILLE Habitatores Petræ, ſternitque levatam
In ſublime VRBEM, atque in humum deturbat ab alto
Everſor medio proſtratam in pulvere; quà pes
Conculcabit eam inſultans, etiamque *gregales*
Inſilient impunè pedes, greſſuſque *pudendi*.
Sed JVSTO præcisè æquo jacet orbita tractu;
Prorſus ad æquatam quod TU LIBRATOR amuſſim
Res EJVS redigis, caſuſque (ÆQVISSIMVS) omnes.
Judiciorum igitur producto in Calle Tuorum
TE Mente exertâ, TE præſtolamur EVNTEM,
Ad NOMENq; TVVM, memorandaq; Facta (JEHOVA)
Proclivi ſtudio feſtina aſpirat Orexis
Vſque TVI memor: Integras deſidero Noctes
TE Curâ inſomni, TVA, *primæ Hic Spiritus* Ortu
Quæritat *Auroræ*, Veſtigia: Nam tua cum ſe
JVDICIA explicuere Viris, *Hoc Cardine* tantùm
Rerum (*experrectus*) monſtrata intelligit *orbis*;
Ambiat *Indomitum* Favor Indulgentiaq; *Iſtis*
Juſtitiam Indocilis non ediſcetq; *Magiſtris*;
In Terrâ nam Quâ ſe Diſpenſatio Rerum
Æqua magis præfert, magis Is ſe oſtendet iniquum,
JVDICIA haud reputans SVBLIMIS mente JEHOVÆ.
JAH DOMINE, elatam licet exporrexeris altè
IPSE Manum, ad veſtræ tamen Iræ ſponte ſtupeſcent
SIGNA, nec advertent; Lumbis incuſſa ſed altis
Sentierint (Bruti) ſuffundenturque Pudore
Tunc ſuper Invidiâ, *Zelo* prorſuſque maligno
In POPVLVM immeritò gliſcenti; protinus Hoſtes
Flamma voraxq; Tuos violento abſumſerit æſtu.
At Nobis Solidam, Sortira per omnia, Pacem
ARBITER Æquanimis præſtas, ſuavique tenore
IPSE OPIFEX componis Agenda, Ferenda, JEHOVA.
Sanè alieni in nos Domini arripuere (*fatemur*)
Jampridem Imperium, ſed TE VNVM (ſervitu adempto)
Jam licet expulſis (*per Te*) celebrare Tyrannis.

Vixere! haud vivent iterùm; inſedere Profundo
Demerſi (ritu *Pharii*) ad ſupera alta reſurgent
Nec poſthâc; *animadvertiſti* JVSTVS in Illos;
Vaſtaſti, memori ævo & Nomina caſſa *fugaſti*;

Aſt

Aſt *Hanc* auxiſti Gentem, modò ad Extima Terræ
Quam profligaſti patriâ de ſede remotam;
Adjicienſque *Illi*, *Proprios* expandis Honores.
ILLA gravi exilio, longâq; Tyrannide languens,
Plagis jam evigilans TE JAH (*Converſa*) reviſit,
Colloquia & ſecreta, Malis compreſſa, refudit;
Sic queſta; Vt valido diſtenta Puerpera fœtu
Partu deproperante dolet, ſenſuq; Laborum
Luctifico exclamat; ſic incumbente (JEHOVA)
NOS gemimus Maſtige tuâ; Nos verbere torto
A TE percuſſi ſuimus, Nos prorsùs eramus
Ærumnis gravidi, extractiſq; doloribus ægri,
Et gemitus (Ventum *modo* ceu pareremus) inanes
Fudimus; haud ullam *ſine TE* (VIS NOSTRA) ſalutē
Experturi *Ipſis luctantibus*; Arte vel ullâ
Hoſtes fuſuri Terrarum ubicunq; repertos.
Veſtri at Defuncti (Rediviva Cadavera buſtis)
Ad *Noſtri* Exemplum renovato corpore ſurgent;
Dixti nam! O *Cineres nunc exſiliatis inertes*
Pulvereo è ſtrato Vigiles cantate Coloni;
Namque DEI (ut Plantas vegetat Ros) fertilis exit
SERMO; ſinuque Tuos excludet Terra Renatos.
Intima jam ingredere O Noſter conclavia Cœtus,
Nec manui violanda ulli tibi fortibus obde
Clauſtra ſeris, ſpacioque velis latitare puſillo
Obſcurâ in Statione, foris dum cæde peractâ
(Plus *Ægyptiacâ*) gravis indignatio ceſſet.
Nam DEVS ecce DEVS SOLII de ſede ſuprema
Tandem experrectus (ſcelerum trux ultor) iniquos
Terræ habitatores Vindictâ puniet æquâ;
In ſeque effuſas tunc deteget *integra* cædes
Tellus, nec cœſos tenebroſâ abſcondet in alvo
Conſcia ſubducti ſceleris. Continget & Illo
Tempore, ut Armipotens celsâ Statione JEHOVA
Ceu Bellator atrox aderit, flammaſque vomente
Lerhiferoque ſuo Mucrone invadet Atrocem
LEVIATHANA, plicis porrectam immanibus, orbes
Volventemque HYDRAM ſinuoſos, ſeque moventem
Inceſſu intortam Vario; Oceaniq; DRACONEM
Enecet Ingentem, plaga ingentiq; peremptum.

MICA Cap. V.

OMnibus (heus) Cuneis in idem Turmaria Corpus
onflue, Nos dirâque (*agedum*) obſidione coarctet
Hoſtis ſe agglomerans; *petulans* impingere Virgam
JVDICIS IZRÆLIS reverendoque audeat Ori:
TV ſed *HONOS EPHRATÆE*, (Duces utcunque *JEHVDÆ*
Obſcurus BETHLEM inter agas) mihi at *Inclytus*, almis
Affore jam Auſpiciis dabis AVCTOCRATORA REGEM
In Natalitio Ductorum *IZRÆLE* futurum,
CUJUS ab *ÆTERNO* Indicia eminuere *VIARUM*.
Caſibus interea duris, Rerumque procellis
Exponet POPVLVM, dum QVÆ conceperat olim
Nympha ſinum laxans, poſt tot faſtidia Fœtum
Votivum excludat, Quo deindè à Tempore *Fratres*
Gentis Adoptivæ Reliqui, (jam unita Synaxis)
Cum Redeunte ultrò fuerint *IZRÆLE* Reverſi.

Parturi iò SOLYMÆ Proles, Nunc denique partum
Ede Salutiferum, robuſta Puerpera cum jam
VRBE procul *Sanctâ* Chaldæis degeris Agris
Longiùs, & *BABILONA* tenus perveneris *Ipſam*
Admiranda Hoſpes, Barathro aſt evaſeris *iſto*
Magnifica Virtute redux; *ibi* Fortis *IOVA*
Teque Manu de *collatâ* denſi eximet Hoſtis.

ILLE dehinc ſtabit diuturna in ſæcula VINDEX,
Paſcet & exertâ Pecus in Virtute *IEHOVÆ*,
NOMINE adorandoque ſui DOMINIQVE DEIQVE:
Tunc *erit* aſſerti ut duraverit uſque PECVLI
Sors, & Honos ſtabilis; Quandò ILLE excreſcere pergens
Eminùs immenſæ implebit ſpacia ultima Terræ:
HIC VIR Hic IPSE Suis fuerit *PAX*; Improbus *ASSUR*
In Noſtros quod ſi fòrs irruat Advena Fines,

Prægra-

Prægravet atque ſuis Pinnarum culmina plantis,
Huic Paſtorales ſeptem, per Ovilia, *CURAS*
Præficiemus in excubias, Octoque Toparchas,
De plebeio Hominum tantùm grege; protinus Illi
Depaſcent Gladii conſumptam abdomine Terram
Prædonum *Aſſyriorum*, & Priſci Nobile Fundum
Nimrodi, in primis ingreſſibus; aſſeret ILLE
Nos & ab *Aſſyrio*, Noſtram cum acceſſerit acer
Tellurem Satrapa, & ſummas *modò* ſtrinxerit oras.

Temporis Hoc puncto RELIQVVM fatale JACOBI
Ductor agens, Mediis Populorum in Millibus, almus
(Non ſecùs ac liquidi Roris Chryſtallinus imber,
Suppeditante DEO, cœli & leniſluus humor
Haud Juſſa expectans hominum, Nutuſque viriles,
Munere cœleſtis perfundit Gramen aquai)
Influet in *placidas* Gentes; At pollice verſo
Gentibus in *tetricis*, *RELIQVUM*, *jam immite*, *IACOBI*
Plurima agens inter Populorum Millia Raptor,
(Ceu Vetus in Sylvæ Indigenas Leo ſævit inertes,
Inque Ovium Numeris *Adoleſcens* horridus ardet;
Magnanimo inceſſu vel ſicubi Luſtra peragret,
Proterit incurſans Animalia territa victor,
Effera diſcerpitque, nec eſt Qui vindicet Vllus)
Sic & in indomitos ruet *IZRÆL*; Omnia cedent
Elatæ in rabidos Hoſtes tibi (*Strenue*) Dextræ,
Exciſæque cadent, invicto robore, Gentes.

MICA Cap. IV. 4, &c.

AST Populis [*PAX ILLE Quibus*] conſidere fauſtis
Vel ſub vite ſuâ, Ficuve impunè licebit,
Nec qui terriculis ſeceſſum abrumpat amœnum
Quiſquam Interpellator erit; ſic inquit IOVA
REX Exercituum; Nam cum formidinis expers
Nomine

NOMINE, & Auxiliis tutantibus undique ſepti
Æternùm viventis, Obumbrantiſque *JEHOVÆ*.
Tempeſtate Illâ pedibus Claudam, inquit JOVA,
Acciere, & pulſum ſpacia in longinqua reducens
Compuſero in Caulam, *per Meque* doloribus ægram;
Talo Solivagam luxatoque IPSE frequentes
Ponam in Reliquias; diſjectam & in Vltima Terræ
In Gentem ſolidam, atque Illis in Monte *SIONIS*
Jura dabit *DOMINUS*, longæva in ſæcula JUDEX.

TVQVE Gregis TVRRIS, *Caſtrum inviolabile* Prolis
Porro Sionææ, Tibi REX Primarius ILLE
Ultrò aderit, REGNVMQVE omni in Tellure ſupremum;
Accedet veſtræ, *Solymæ* O data Filia, Doti.
Cur at vociferaris (inops animique ſpeique)
Perpetuo planctu; an tibi Rex haud ſuppetit ullus
Abjecta? anne tuus tibi Conſiliarius omnis
Vndiq; diſperiit, quod te ſine fine modoq;
Tormina Parturientis habent voti irrita? quin O
Filia *Tzijonis* gravè parturi, & edere partum
Nititor, *anguſtata* Puerpera; Quæ procul VRBE
Longùm habitabis Agro, *Chaldæis* ſerva tabernis
Aſſueta, ad *BABILONA* etiam perveneris Ipſam
Admiranda Cliens; Baratho aſt evaſeris illo
Magnificâ virtute redux; Fortiſque *JEHOVA*
Illic collatis de viribus eximet hoſtis.
Nam licet agminibus *Populorum* examina denſis
Confertim coeant in voſtrum Dedecus, Eià
Dicentum; *fœdo maculetur ſordida tabo*,
Noſtra prophanatamque luto jam lumina ſpectent
Sacram HIEROSOLYMAM; tamen Iſti in Luce paluſtri
Senſa DEI haud retegant, nec iniquo Examine pendant
Conſilium *EXCELSI* ſecretum; HVNC nempe coactos
Colligere, ut faſces Frumenti Meſſor, in aream.
Surge age! jam duro tere quaſſas æquore ſpicas
Filia *TZIJONIS*; Tibi formidabile cornu
Per ME duririem Ferri, Chalibæaque vincit
Robora conflictu ſuperabilis Vngula nullo;
In minimos reſoluta Atomos & rudera Gentes

Com-

Comminues; Horum quæſtumque ſacrabo *JEHOVÆ*,
Quin & opes TERRÆ DOMINI in Totius Honorem.

Profligatis Eccleſiæ Hoſtibus, Auguſtiſſimus Illius ſtatus perſtringitur, idque *deinceps* per decerptas Scripturarum Minutiores Periodos, Menti Interpolatoris *expediendæ*, ſuccinctè accommodatas.

ESA. Cap. XXIV. *V.* 21.

COntigeritque ità tunc animadvertente cohortes
In validas *CELSORUM*, Ipſos *CELSOSQUE JEHOVA*,
In REGES Terræque omnes, Terraſque Regentûm,
V. 22. *Hinc* ut captivi, ſcrobis in caligine, merſi
Claudantur collecti unâ, tenebriſque ſepulti
Longa per intervalla [*Humana in commoda*] deſint.

Eſa. 19. *v.* 23. Hoc pateſacta Die *extabit* VIA REGIA Regnis
E *Phariis*, Priſci Imperia in NIMRODIS, & uſus
Pervius *Aſſyriis* erit *Ægyptique* colonis,
Geſtiet *Euphratiſque* & *Nili* Potor in unum
Conſpiraſſe DEVM; *v.* 24. Cumque His exindè duobus
Tertius *ISACIDES* Pactum inſtauraverit HEROS
Conjuratus; erit mediâ & *Benedictio* Terrâ;
V. 25. Cui benedicturus Legionum Rector IOVA
Dicet ovans, Benedictus in omne *ÆGYPTIVS* ævum
Eſto, (MEVS POPVLVS) manuum *ASSVR* opuſq; Mearum,
Mecum & prævalidi ſemen, SORS NOSTRA, *Jacobi*.

Eſa. 35. *v.* 1. Fœtûs, *tum* ubertim, *cum cantu*, effundet *Eremus*

Ioel 3.*v*.18. Saxoſi & Montes ſtillabunt uvida muſti
Munera tempeſtate illâ, Cálleſque ſupini
Lacte *repente* fluent, atque erumpentia Venis
JVDEÆ irriguis ſalienti exercita curſu
Flumina dulceſcent; ſacro-ſanctâ & ab ÆDE JEHOVÆ
FONS illimis aquæ diffuſo eruperit alveo,
Proluet atque cavam fœlici uligine Vallem

Lectarum CEDRORVM; *Eſa*. 30. 25. Ab OPIMA ſcilicet ÆRA
STRAGIS INAVDITÆ; Cum caſu deſuper alto
Præcipites ruerint *Turritâ* è ſede Tyranni:
V.26. Luxque erit hinc LVNÆ SOLI par, Luce coruſcâ,
Fœnore ſepteno Solis ſed audacta ſtupendo
Splenduerit Radio, & ſeptemplicis Ore Diei;
Illo nempe Die POPVLI quo vulnera Sancti
CVRATORE DEO fuerint medicata potenter,
Et deploratæ contuſio livida plagæ.

Eſa.66.*v*.10. *Hinc* gaudete ſimul, Quaſcunque PUERPERA SALEM
Vſpiam habet comites; Vos O quibus integer ILLI
Corde inſedit amor; quin exultetis amœnæ
Voſque Animæ, mœror quas trux exercuit ægras
Multa gemens Caſum *ſpretæ modò* Conjugis; *v*. 11. At jam,
Triſtibus exhauſtis, uligine plena ſuâvi
Vbera ſugentes, avidam exſaturetis Orexim;
Lacteolos Fontes emulgenteſque (bibaces)
Mammarum undanti voſmet repleatis Honore:
v.12. Namque ait, ingenti deducam *exindè* JEHOVA
Flumine ad Hanc Pacem; Fulgores IPSE ſerenos
Huic Gentilitii Decoris dabo, Lucis & aureæ
Deciduum Torrentem, unde elicietis opimas
Sorbitiones, Altriciſque vehemini Alumnæ
Ad latus, & genibus molles equitabitis almis:
v.13. Ac velut impubem *Mater nutricia* fœtum
Suavibus illecebris reficit, Cantuque melodo

(Pul-

(Pſaltria) blanditiis non ſegniùs IPSE *paternis*
Vos Sobolem recreabo meam, & (*Gratiſſimus Author*)
Deliciis *SOLYMA* imbutos perfudero tantis.
*V.*14. Hæc ubi ſenſeritis, protendet corda Voluptas
Amplior, èquè ſuis revireſcent Oſſa ſepulchris,
Herba quaſi è Tellure recens; Manus alma *Suorum*
In Decus innoteſcet, in Exitiumque maligni
Triſte Sodalitii incumbet gravis ira JEHOVÆ.

*Mal.*4.1. Nam ruet ILLE DIES rapidæ Fornacis ad inſtar
Igni inexpleti intenſis fervoribus ardens,
Quo Elati omnes, ſtudiiſque exerciti iniquis
Ceu Cremium cedent in pabula, & impete flammeâ
Perdet eos, prorſus Radice ſuperſtite nullâ,
Ramiſque in fumos abeuntibus, inquit IOVA
DUX EXERCITVVM, *V.* 2. Sed vobis, Grex pie Noſtri
NOMINIS impensè reverentibus, Axe citato
Approperans vultu SOL exorietur amœno
JVSTITIÆ, expanſiſque in latum deſuper alis
Immiſtam Radiis recreata in corda ſalutem
Vividus infundet; Quo procedetis ab Ortu
Lumen in accreſcens, ſed & incrementa *Vigoris*
Aſſidua accipietis, & augeſcetis opimam
In molem altilibus ſtirps ut vitulina ſaginis,
*V.*3. Jugiter abjectoſque pede attriveritis Hoſtes,
Sub plantis & erunt vobis Pulviſculus imis
Turba alliſa ſolo, *Ubi* Opus complêro Statutum
Corde; Exercituum veraci ait Ore JEHOVA.

*Eſa.*34.*v.*16. Divini in foliis hærete Voluminis, altis
Scrutantes penitùs ſtudiis, PROMISSA fideli
Penſanteſque animo, non ulluum ex omnibus iſtis
Defore Promiſſum, ſociove carere (ſtupentes)
Agnoſcetis; Ego (En) vult Quæ prædicta JEHOVA
Eloquor, acta DEI per SE dabit omnia VIRTVS.

Mal. 3. *v.* 18. Tum curvi Erroris ſinuoſâ ambage reducti

Judicii in recti compendia, Lumine Mentis
Puro cernetis Rerum intervalla, quid inter
Sit *Pravum* atque *Pium* Diſcriminis, inter & ALTI
Cultorem verum, Contemptoremque JEHOVÆ.

Quocirca O noſtri cura & ſolamen Amoris
Gens mea; quando tibi Rerum obverſetur Imago
Tantarum, totis ſtudiorum enitere nervis
Vt Medios inter tranquillâ in Pace tumultus
Inveniare, Animi ſine Culpâ aut Labe nefandi;
V. 12. Jugiter expectans; Deſideriiſque citatis
HVJVS ab EXCELSIS lentum accelerare DIEI
Adventum ſatagens; Quâ ſacris flammiger Æther
Fulguribus rutilans incocta Elementa reſolvet
Fuſilibus rivis, Furno liquefacta flagranti;
V. 13. Nos ſed uti PROMISSA Fideſque Authentica ſpondet
Indè repugatos, cum Tellure, affore *Cœlos*,
De Fornace novâ *fuſos*, ſperamus (*ovantes*)
JVSTITIÆ reduci, juſtæque ſedilia Genti.

Acta Ap. 3. *v.* 19. Ergo mihi elapſam reputans ſtirps enthea vitam,
Corrige jam ad Normam, ad *DOMINUM* converte *ſequaci*
Teque *Miniſterio*, tua quò delicta lituris
Gratuitis caſſâ intereant; Stata Tempora ſurgent
Quando Refrigerii à Nutu exoritura *JEHOVÆ*,
V. 20. Atque Evangelii modò per Præconia *JESUM*
Expoſitum, Vobis iterum in Commercia *CHRISTUM*
Miſerit, *v.* 21. Exceptum debet QVEM includere cœli
Ambitus, appulerit Tempeſtas *Omnia* donec
Reſtaurans, *Quæcunque* edixerat Ipſe ſuorum
Ore Prophetarum DEVS à primoribus ævis.
Rom. 11. *v.* 26. Sic demùm [amotis Noxis] ſervabitur *omnis*
IZRAEL, in ſacro prout olim in Codice ſcriptum;
Ecce SIONÆO veniet de Limite VINDEX
PROXIMUS ILLE, JACOBI omnem avertetque Reatum.

V. 12. Quod

*V.*12. Quod ſi divitias in mundi, *offenſa caduci*
IZRÆLIS, *Damnumque* in GENTVM commoda ceſſit,
IPSIS quàm lucroſa *JACOBI* opulentia fiet?
*V.*15. Atque immorigeri ſi nunc Abjectio *præceps*
IZRÆLIS, verſa eſt *acciti* in Fœdera mundi,
Quid Reditus fuerit, niſi vita è morte reſurgens?

*Eſa.*24. *v. ult.* Confuſam afficiet tunc Conſternatio Lunam,
Contrahet inſolitum Fax & Phœbæa ruborem,
Quandò Triumphali Imperitans JAH monte *SIONIS*
Et *Solymâ* Inſigni, SENIORVM ante ora Suorum
Clara per attonitum Magnalia proferet orbem.

*Mal.*4.4. Intereà ſed enim LEGEM retinete fideles,
Quam *Moſi anteriùs* procincto ad juſſa Miniſtro
Tradideram, ſacro *CHOREBI* in culmine montis;
Noſtro obſervandam pro ſæcla perennia *Toti*

*Deut.*2.*v.*14,15. *IZRÆLI*; nec enim vobis præſentibus unis
Traditur, Ætatum aſt *imis* Decurſibus, omni
Affore cui dabitur Soboli; licet eminùs extrà
Naturæ metas abſint; LEX fertur & Illis
Perpetuo fluxu emergentibus: [*Hanc* colite omnes]
*v.*18, Nè, proh triſte Malum! veſtris in cœtibus uſpiàm
Vir, Mulierve foret, Gentis ulla, Tribuſve, relicto
Quæ DOMINI cultu deſciſcat Apoſtata, corde
Retrogradoque means Gentilibus *Erro* Deaſtris
Temporis Hoc apice accedat; nequa improba ſuccos
Fellis alat tetricos, Abſinthii amarave Radix,
Vſque adeò ut *clangens* quandò exſecratio (*Pacti*
Sanctio dira ſacri) ſtupidas circumſonet aures
Vocibus horrendis; tamen ille in corde ſupinus
Se beet arcanoque immurmuret *Iſta* receſſu,
Aſt ego Pace rata, Rebuſque impnnè ſecundis
Et ſine fine fruar, licet almâ in Imagine, cordis
Suaviter incedam proprii & temulentus amœnis
Hauſtibus uſque ſitim mutem, Ebrietate recentem;
*v.*25. Audaci ſed enim *DEVS* haud ignoverit ori;

Bilis at extremas fæces, fumantis & iræ
Æſtum *Zelotypus* defuderit, *Huicque* nefando
Multiplices quotquot ſuperant Hoc codice DIRÆ
Incumbent *Capiti*, tenebris Nomenque ſepultum
Delebit ſuperis ſubtus Regionibus; *v.21. Illudque*
Eximiâ improbitate, *Scelus* citius eximet ultor
In Pœnam exortem; *Exemptumque* JEHOVA ſtupendum
Ponet in Oſtentum IZRÆLI, Famoſus aperto
Vt pereat Fato, cunctas expertus Erinnes
Fœdifragis LEGIS quas dicit *triſte* volumen.

*Heb.*12.14. Ergo jam Moniti (Rixis ceſſantibus atris)
Vos ſectatores Pacis, Pietatis & *actæ*
-Moribus aſſerite; His quandò malè prorsùs omiſſis
Effigiem aſpectare DEI nequeatis *amicam*:
*V.*15. Quinimò videritis, vigilanti mente ſagaces,
Cœlitùs indulto nè fortè chariſmate Quiſquam
Transfuga deficiat, Fibræ nè *leniter* ulli
Seque ſubinſinuans inoleſcat *Fellea* Radix,
Fœcundoque ſinu circum enaſcentia paſsim
Germina multiplicans, turbas ciat Invidiæ ſtirps
Succida, complures taboque coinquinet Vdo;
*V.*16. Neve ſodalitio ſe veſtro accenſeat ullus
Scortator, Qui cor non erubuit ve prophanum
Prodere (Stigmaticus) qualem ſe degener *ESAU*
Geſſit, *Primigeniæ* Qui Jus *Inſigne Sacrati*
Sorbitionem exſors decoxit Juſculi ob unam.

*Pſ.*14.1. & *Ezek.*8.12. Neu Cor delirum *Inſulſi* (*Dementia vecors.*)
Deleat eraſumve DEVM, Cœlove Sedentem
Collocet *Immunem*, Noſtroque abjudicet Orbi,
Imperii ſignis ſpoliatum *utrimque*, ſupremis,
Proſpera nempè Bonis didendi, *Infauſta Sceleſtis*:
Denique nè quiſquam diro execrabilis ore

*Jam.*2. *v.*7. Nos ſuper impoſitum NOMEN blaſphemet *Honorum*,
1 *Pet.*4.*v.*14. SPIRITVIve DEI AVGVSTO maledicat Alaſtor,

Jer.

*Jer.*8.*v.*8,9. SANCTI SERMONEMVE neget vel inaniat audax;
Job 31. v.11. *Juridicis adeò luſtranda Piacula Roſtris.*
Heb. 10. *v.*28. Quandò miniſtratam à *MOSI* quis Apoſtata LEGEM
Spreverat, averſus; Capite *hinc* minor exiit *Ipſo*,
Sub tribus Indicibus (Veniæ ſpe excluſus ab omni)
Morte extinguendus DOMINI PSEPHISMATE; *V.*29. Quanto
Hunc ſibi pejorem Nemeſim accerſiſſe putandum eſt
Qui non ſacrilego pede proculcaſſe *JEHOVÆ*
PROGENIEM dubitavit atrox, Pactique redempti
Antiluxrum (*Sacer* Ipſe notâ qua *Vijus* honorâ eſt)
Non niſi vulgarem prorſus duxiſſe cruorem,
Auſus *SPIRITUI* impegiſſe opprobria *SANCTO*!

*Jer.*4.*v.*14. Ablue *Divino* purgato ſmegmate renes
O Solyma; à putri ut poteris revaleſcere tabe,
Senſa quouſque tuis remorentur inania Fibris?

*Eſa.*8: *v.*19, 20. Siqui tentantes, *Pythones conſule*, dicant,
Infernoſque Magos, ſua Qui Reſponſa *ſuſurrant*,
Et *pipire* datas adamant è pulvere ſortes,
His refer; *immò ſuum* non inquiſiſſe *JEHOVAM*
Incumbit Populo! decet ergo abſcedere *Vivis*,
Defunctos petere, infernoſq; ediſcere ritus?
*v.*20. Quin *Mea Gens*, *cœlo* dilapſam amplectere LEGEM
Altè atteſtataraq; Fidem; ſecùs oggerat *Hæc ſin*
Natio, & egreſſas Hujuſce exceſſerit oras
Doctrinæ, extravagans ſine luce inſigniter errat:

*Pſ.*119.113. Dic age; luxurie fruticantis abhorreo cordis,
Noſtra & alunt *unam DOMINI* præcordia LEGEM.
1 *Ep. John* 2.7,8. *Hoc* JUBARVM PATER in *priſcâ* caligine LVMEN
Extulit, *excuſſa caligine FILIUS* auxit;
*v.*20. HOC ÆTERNA animas perfudit & *UNCTIO* ſanctas;

*v.*24. Quin ſinite ergo *altis* demiſſum Lumen ab ævis
Immaneat vobis, ſinite Hæc Auditio perſtet;
Si *Quod* de priſcis audiſtis primitùs ævis
Immaneat vobis; *Voſque* immanſeritis *Ipſi*
In GENITO & GENITORE DEO; ſed & VNCTIO ab ILLIS
*v.*27. *ILLA COÆTERNA* in vobis fine fine manebit.

O ſi ſuccedat Terris novus alter *Elias*
Conciliatu us divortia dira (Sequeſter)
Lux priùs Illa DEI quàm Magna, tremendaque ſurgat,
Corda Propinquorum Furiis accenſa malignis
Compeſcens, Animos (*medius*) cum Prole Paternos,
Progeniem infeſtam infenſiſque Parentibus unam
Suadeat in mentem coaleſcere, nè male perdat
Devotam, *DOMINUS VENIENS*, Anathemate terram.

Præcedentis totius

DIATRIBES;

Synopſis & SVMMA Contractior.

BONVM at Mearum eſt Gratiarum guttulis
TVÆ JEHOVA GRATIÆ
Libaſſe Rivis, NOMINISQVE Adoreas
Melico ſacraſſe Spiritu;
Veſtramque primis LVCIS à progreſſibus
Benignitatem expromere,
Seris Fidemq; Veſperæ in crepuſculis
Enunciare perpetem;
Decachordæ (amœnùm tinnientis) ad modos
Teſtudinis melodicos,

Cytha-

Cytharæ aut recuſſæ blandulùm, vel Nablii
Solenne ſpirantis Melos.
Opificio nam recreaſti me tuo
(Sublimis Opifex) DEVS,
MANVVMQVE Geſtis (entheatus) inclytis
Totus triumphans geſtio.
Quàm ſe verenda proferunt Miracula
TIBI JAH potentis *Dexteræ*!
Quàm *Mentis* altâ prorsùs at caligine
Senſa involutâ ſe tegunt?
Cœlo effluentis deſtitutus conſili
Hoc (imperitus) haud ſapit,
Nec corde quiſquis incapaci obrutuit,
Agnoverit Myſterium.
Si quandò *nempè* Gens (ſit ut frequentiùs)
Nefanda ſuavè germinet
(Ceu latice gramen irrigatum roſcido)
Operariique perfidi
Iniquitatis, Flore ſe oſtentent ſuæ
Et Apparatu Gloriæ,
HOC evenire Fine non alio *Probrum*,
Quàm triſtis ut Sodalitas
Crepidinoſi à culminis Statu *brevi*
Barathrum in *perenne* corruat.
At at JEHOVA Roboris TV Proprii
Innixus immotâ Baſi,
SOLIO (SVPREMVS) ſempiterno permanes,
IDEM uſque perſiſtens *TIBI*;
Nam (*ſicut olim*) Perduelles perfidi
Ità ſtrage *deinde* compari
DOMINE peribunt; diſperibit ilicet
Infeſta ubique Natio
Sceleris & acti in fruſta diſſi'ient Fabri,
Friata ut Igne Rudera;
At *QVI* Monoceroti Arduum cornu levas
(Inſigne Geſtamen) DEVS,
Mihi caput altè ſublevatum & eriges,
In artus atque languidos
Oleæ recentia *integrantis* munia
Vice uſque diffundes novâ.

Oculus

Oculus avarus Talionis debitæ
Nemisi acquiescet Hostium
Desideratâ, quin & Auris Nuncio
Optabili lætabitur
Resciſſe Pœnas Proditorum, nequitèr
In memet Insurgentium.
PALMA ut onerosis pressa multipondiis
Sursum renitens se levat,
Latè refusis germinatque Surculis,
Hâc crescit, hâc viget PIVS.
Pomœriis TEMPLI adsitæ Propagines
(Soli Atrienſis incolæ)
Fructus opimos prægravatæ proferent,
Obstante Canitie Nihil,
Sed pinguefactæ humore cœli defluo,
Effloridæque evaserint
Quò luculenti prædicent Testes, *DEUM*
Mihi Rupem in æva Altissimam
RECTI Irriflexum CANONEM, nec ullius
Supereſſe *INIQUI* Conscium.

ECCLE-

ECCLESIÆ Stabilitas, & Securitas. *PSALMUS* 125.

QVicunque ſortis turbinibus caput
Pulſatus atris, in DOMINO Fidem
Fundatus Ipſo ſpes ſerenas
In piceis aluit tenebris,
Inſtar *SALEMI*, inter Juga, Conditi,
Tonitruoſi Temporis irritos
Contemnet ictus, uſque perſtans,
Mitilium in medio, irretortus
Sponſore Pacis NVMINE; nam velut
MONTES coronâ circum adamantinâ
Cingunt *SIONEM*, ſic recinctum
ILLE *Suum*, ſine fine, Cuſtos
Ambit Popellum; Nec licet evagans,
Sortem Piorum VIRGA Neſarii
Hic, *Nunc* pererret, ILLA pernox
Fine ſacrâ recubabit Hoſpes,
Producta tractim nè diuturnior
Vincat caducam Crux tolerantiam
JVSTI flagellis Terga ſciſſi
Perpetui, & iniqua paſſi,
Captantis (Eheu) ſuppetias manu
Iniquiores: Ah benè tac Bonis
NVMEN Benignum, Quôcis in alto,
RECTI animans ſtudium, receſſu
Fovet voluntas Enthea; Deditos
Sin fraudulentis præſtigiis ſinus
In Curva (calle anfractuoſo)
Compita, Gens ſycophanta torquet;
Quin Noctilucas haſce nitedulas
Cœcis revellens è latebris DEVS
Meridiano in ſole ſiſtat;
Pax at amica ſit *IZRAELI.*

Deſi-

Deſiderium SPONSÆ, ſub Peccato & miſeriis Ingemiſcentis, inveniendi SPONSUM; & Directio SPONSI ad Votum ejus conſequendum.

SPONSA.

NIgra ſum cultæ *Solymaides*, orâ
Ceu movens ſcenas vaga Gens Sabæâ,
Pulchra at Aulæis velut Immoratrix
Sub *SOLOMONIS*.
Albicans nè Me obtueare *Claſſis*
Subnigram Viſu; mihi Sol malignus
Torridâ incumbens face, decolorem
Heu notam inuſſit.
Quin introductæ mala ſtirps Novercæ
Sæviens in me, dedit *Alterorum*
Palmitum curam, meus heic ſtupenti
Dum *mihi* ſquallet.
Cordis O Ingens Amor, & cupido
Tu mei, dic quâ tibi Grex in orâ
Paſcitur, quâ ſub medios cubantem
Protegis æſtus;
Nam TUI quorſum, fugitiva, Ovile
Unicum, averſo pede deſerens, Gregariis paſsim Tibi competentum
Aggreger Hircis?

SPONSUS.

Ambigis, cunctas ſuperans Venuſtas?
Per Gregis ſignatum age perge tractum,
Septa Paſtorum *ſuper Inferorum*
Paſce capellas.

Ite nunc Fortes ubi nota celſi
Ducit exempli via; cur inertes
Terga nudetis? ſuperata Tellus
Sydera donat.
Boeth.

CARMEN

CARMEN Threno-thriambeuticum uſum & *Scopum Diatribes* præcedentis Indicans.

QUi modo Priſcæ *Epicis* retuli diſcrimina SPONSÆ,
Nunc *Elegi*, querulis plango reducta, modis;
Certè Operi in lachrymis cui Fundamenta locantur,
Opportuna Baſi pulla Coronis erit;
Hinc noviter ſtructam BABILONIS cum propè Turrim,
Accubui immenſæ ſtratus ad Agmen aquæ,
Præteriens, lachrymarum auxi de Fonte, Fluentum
Stratus, ut emerſit mente SIONIS, *honos*;
Mecum aude & nitidos, Lector, corrumpere Vultus,
Sed lachrymis miſce Spemque Serene tuis;
Haud trux Turbo, graveſque ſtrepent, ſine fine, procellæ,
Cedet Hyems ſudo pulſa ſubindè Jovi,
Integra qui reddet fœdis collapſa procellis
Omnia; Tu intereâ Triſtia diſce pati:
Nunc Veterum Effigiem redivivam adverte Malorum,
Confer & Antitypis Ectypa prima novis,
Quæ *Sparſa* effugere animum Simulachra, *Synopſis*
Clarius, anguſtâ in Fronte, videnda dabit,
Componens ut præteritis præſentia Damnis,
NOSTRA dolore gemas, æquiparata, pari.
Non omnes ſcelerum potero tibi ſiſtere Formas,
Has ſatis expreſſo nec ſimulaſſe ſtylo;
Vix licet *inſonti* Quamcunque imitaſſe Figuram
(Quid ſi Divinâ picta ſit arte?) *ſtylo*;
Sed quanquam Tabulâ Lux clarior emicet unâ,
Alternamque hebetet craſſior Aura Schedam,
Implicet aut radiis ſeſe turbantibus Icon,
Saltèm Aliquid Genii fert, *ubicunque*, Sui;
Luci aliquà officiat Methodus ſin Cryptica, Noctem

Hanc,

Hanc tuæ at excutiat Mentis a rica Dies,
Res connecte va as agili phantaſmate, nexas
Diſpice, caligant dimita, juncta nitent;
Quæ *Diviſa* operi-difformia fortè videntur,
Congrua *Compoſitâ*, feceris Illa, Criſi.

Vtque Ille Umbrarum, & Lucis Faber, atque colorum
Pluribus *INGENUIS* è regione ſitis,
Suſceptæ ut Charites infundat quaſque *Figuræ*
Dædalea è thecis extulit Arma ſuis,
Multipliciſque almos compingens oris honores,
In Suum, ab Artifici Mente, reſudit opus,
Et VENEREM immigrare (Analectes) juſſit in Vnam
Quicquid eis *Veneris*, quicquid *Amoris* erat,
Hiſque ſuam illuſtrans pigmentis ſuavè tabellam
Promeritæ Palmam laudis, ab arte, tulit,
Sic Tu ſelectas, per tota Hagiographa, Formas
Ad præſens animo SCHEMA ſagace refer,
Nec ſectare meos tantùm, merus aſſecla, greſſus
Curriculo ulteriùs ſed ſpaciare novo;
Sic ſyncera tibi Sæcli affulgebit Imago,
Grandi-operæ-precio *ſic* potiere tuæ,
Quando repurgatis craſſâ à caligine fibris
Percipies clarâ Tempora Reſque face,
Capturienſque Augur præſagia *certa* Futuri
Luridus irato cum *ſtet* in Axe tenor,
Dic! At triſte *Tuis* averte (Salutifer) omen,
In Peſtes Hominum colluviemque putrem.
Parce *Tuis* Fœlix, alienâ clade ſagittas
Tinge, proterva velis probra nec uſque pati;
Degenerem compeſce Epocham, jamque integra cœlo
Defluat auratis ÆRA relapſa rotis,
Tecum agitanſque rati Decretum immobile PACTI
Pollicitam Populo mitte Redemptor opem:
Reſpice Divino prægnantem ſemine SPONSAM,
Conceptum genitor fac pariantque *Marem*
Interitu excluſum prohibe; rictu nec hianti
Expoſitum Partûs trux voret Anguis onus:
FONS FIDEI veracis ades; Re Fataque præſtes
QVI VERBO ut fiant *Cuncta* JEHOVA facis.

Ah quanto promiſſâ rapit *Fidei* adſita Zelo,
Quanto *amota oculis* languida SPONSA gemit?
Nempè *Tibi* illudit *quanto* Sarcaſmate *Lento*,
Quanto *Protrito* fœx petulanſque *Gregi?*
Jam famæ ſuccurre Tuæ, Damniſque Tuorum
His ſtet ſarta ſalus, ſtet *Tibi* certa Fides;
Hactenus opprobrium eſt, & inuſta calumnia *SANCTIS*,
Sentiat hinc Nemeſim turba *prophana* parem,
Quiſquis ut enumeret Veſtros *Recitator* Honores
TE FIDI Titulo inſigniat Ille DEI,
Peſtiferos abigis SANCTO QVI FLAMINE flatus,
SACRA redintegras & violata *TVIS*;
VRBE relegatoſque *Planos* excludis Amœnâ,
Veridicos Populo dans ſupereſſe Duces.

Tempora nunc gravia incumbunt, verùm *omine fauſto*;
Subnicat è Medio Luxque ſuborta Chao:
Obſide vota DEO *certiſſima* præcipe (cultor)
Ipſaque lætitiæ *Triſtia pignus habe*;
Sorte obeunda *prius* venient *Diſcrimina*, Queis mox
Elapſis, prono gurgite *Læta* fluent;
Jugè cohærenti connexa *Hæc* ordine cedent,
Poſterior primam ceu premit axe rotam;
Fata librans Famulis DOMINVS, penſabit *Amœnis*
Aſp'ra, opportunam nec cohibebit opem;
Fidite Veraci DOMINO; quin fidite *Servis*
Queis data *Communis* Publica cura *Rei*.
Pollicitam deerit præſtare nec *Ille Salutem*
Commiſſam nec eis *Hi* coluiſſe *Fidem*.
Proſtratas mœrore gravi ſpes erige Proles
Cœligena: Haud malè ſit ſi modò, ſemper erit.

JVRA DEI præſens *Gens* fors pede proruet; Eſto;
Aſt avido arripiet mox *Oritura* ſinu.

Nec *ſua* Apoſtaticis *ſteterit* Fortuna Catervis;
Debent, cum nequeant *Dura* patrare, pati.

Jam veri uſurpet *ſpeciem* Gens ſubdola Cultûs,
Corde colet veniens ſtirps *ſine Teſte* DEVM.

Impete

Impete nunc rabidâ temerè Enthuſiaſta prophetet,
Excipiet læſas Mens modò ſana manus.

Quaſſa Salus Regni, *ſanctæ* Jacturaque Pacis,
REM modò compoſitam, SACRAQVE *ſalva* trahent.

Si SOLYMÆ in ſtragem nunc effera rendat IDVME,
Hoc aget in ſtrages, non niſi prona, ſuas.
Quid plura! ægrotet Rerum licet Integra Craſis,
ALME JEHOVA Tuâ mox revalcſcet ope.

Cuſtodita cohors; veſtris *jam* aſſueſce Triumphis,
Præcipe feſtinâ gaudia lenta Fide;
Tuque Vigil cœtus Muris præfecte *SIONIS*,
Fac ut *Lætitias audiat uſque ſuas*;
Hæreticos ſtrepitus compeſce, & proſpice CHRISTI,
Præſtigiis *Satanæ* nè rapiantur, oves.
Exſortes Animæ quibus His incumbere Penſis
Et libuit Theſes aſſeruiſſe *ratas*!
O nata Auſpiciis *Majoribus*, Alta JEHOVÆ
Progenies, mundi pignora, ſpeſque *Novi*!
VERO incocta, *agedum*, nunc *pectora* concute, ſacræ
Et Fidei expoſitas *Lingua* recludat opes:
Carmine Tyrtæus Satrapas accendit Achivos,
Nec Tuba ſic animos trux acuit ve canor;
Quem Muſa inſtinctum *Gentilibus* attulit armis,
Marteque præſtabit forſitan Illa *ſacro*.
Cumq; ſtylo priùs exeruit ſe *Suada Soluto*,
Libera jam experiar Quidq; *Poeſis* agat.
Certate intrepidi; CAVSÆ ſibi raptet Honores
Nec DOMINI obſtreperis ſtridula turba *Dicis*:
Turbine proh *gravidæ*, menteſque *Vaporibus altæ*
Succutere *Indigenam* quæ valuiſtis humum;
Quo ſpes! Ventoſoque Typhone innixa Facultas
Gens fera! an ut *Stygiis* merſeris *Aſtra* vadis?
Non equidem *Euroclydon*, neque *Lelaps* fœta procellis
(Cum fregere ſuas, par furiale, ſpecus)
Sic Maria ingenti, & Terras ſimul impete torquent,
Hæc Stige ut erumpens *Omnia* turbat *Eris*;
Auſa & Terrigenis Cœlum quoque atribus Ipſum,

Et

Et ſuper æthereos impetiiſſe Thronos ;
Nil fœda intactum, aut effricta reliquit inauſum,
Quodve Infame DEO ! vel Capitale viris.

Undè ſed Invidiæ in Cultus, & Dogmata *Sani*
CANONIS, accenſas Quid refovetque faces?
Nempè ſibi accerſens Normam Cujuſque Libido
Eligit, *in SACRIS*, Quiccquid *Orexis* avet
Arbitriumque (*DEVS*:) *VERI* quoad Acta *JEHOVÆ*
Sed ſine Mente ſtupet, vel ſine corde furit :
Affingit *craſſum* ſibi quiſque *Tenebrio cultum*,
Quæ non agnoſcit Myſtica *SACRA*, negans ;
Hincq; DEI TRINAM detrectat HYPOSTASIN, atro
CHRISTIQVE in GENESIM, NVMEN & ore ſpuit ;
DECRETOQVE MERO, Rationis *Cultor*, abhorret,
Inque DEI abſimilem damnat AMORE gradum ;
Moribus exleges, LEGEM quoque *Dogmate* tollunt ;
Victum tantùm hilarem grex genialis amat ;
Illis, *Religio eſt* ſympoſia perdita, Luxûs
Organa, contempto corripuiſſe metu ;
Hìc regerunt ; *Emptâ* quò libertate fruantur,
(*Indemnes*) nullis ſe cohibere Malis ;
Aſſerit Ipſa *Fides* quamvìs *Authentica*, victum
Quemque malo, ſimul & mancipium eſſe mali :
Sed *ſemel* immani ut ſternant *Sacra Biblia* clavo,
Horum aliqui *Lemures Hæc* θεόπνευςα negant ;
Hinc tumor Humanus JEHOVÆ EDICTA refigit
Omnia, Dictator Solus & Ipſe ſibi eſt ;
EVMENIDE hinc omnes fœtus & ALASTORE miſtos
Mens fovet, è proprio datque alimenta penu :
Obſidet ambones *genus hoc*, fuſeque miniſtris
Obloquitur, rixis impetit, atque probris ;
Importuna cohors ! ſine more, & fronte dicax, &
Colloquii Quæ non Jura decora ſapit ;
Vericolas tantùm obtundit ſtridoribus aures,
Paſtoriſque jubent ſpernere verba *Gregem* ;
Mox *impunè*, *palàm*, *ſecura per otia*, cogunt
Conceſſus, Sillorum & nova plauſtra parant ;

Proderit *Auſonium* quid at amoviſſe *timetum*,

LERNA ſi adhuc reſtet, ſi *CAMERINA* putens?
Clade vacare *Unâ* quid erit, ſucceſſerit *Huic* ſi
Hydrave centicaput, centimanuſve *Gias?*
At non *Herculeis* debenda HÆC PALMA lacertis,
Tantum *Incarnato* ceſſerit ILLA DEO;
QVI *dabit aſſertam* propriâ virtute ſalutem,
Nec ſinet extinctam ſpem periiſſe *Suis*;

Lætare alma phalanx, Fatiſq; applaude *propinquis*,
Quæ *fauſtâ* occinuit Præſcia Turtur *Ave*;
Sortes nempè Bonas orituraque Jubila grati
Temporis, *Angelicum prolicitura melos*;
Intereà ad concentum animos aptate melodos
Nequa modos turbet diſſona fibra pares;
Symphoniam colite, Vnanimemque *per omnia* Praxim
Harmonicus cunctis undè reſultet Amor;
Sicubi *diſcordent Mentes*, at temperet illas
Condictum, In *Summam Relligionis*, idem;
Conjurata Unum ſpirent præcordia CHRISTVM,
Illius & Qualeſcunque colatis oves;
Pellite Quos tantùm inſpirat *manifeſtus* Alaſtor,
Et *Genios* genitor quos Cacodæmon alit;
Agnoſcas aliquâ; *Inſignis* plerumq; Character
Excuſſum è tenebris ſert in Aprica *Planum*;
Geſticulans Greſſus, effricta Audacia, Faſtus
Attollens oculos, Flatus inane Caput;
Ambitus ambonum, Rixæ furioſa libido,
Perdita Lis, Palmæ ſed ſibi raptus Honos;
Vox ſtridens, ſtylus implexus, ſe Ambage retorquens;
Lubrica Lingua, Animus ſubdolus, Oſque biſrons;
Sed *leviora* cano; *Verbo* cape *atrocia*; *Scurra*
Et DOMINO, *Servis* obloquiturq; *Suis*;
Experiere notas, peragens Examen, ad iſtas
Quos ego probroſo ſtigmate ſigno viros.

Peſtis & Ira DEI! Terræ jam Probra *Britannæ*,
Et grave depreſſæ Relligionis onus!
Qui genus! undè Domo! Gens illætabilis acta
Immundo ſacras polluis ore dapes?
Anglia at haud pridèm fuit *His regnata* colonis,

Indigenis

Indigenis *longè*-nobilitata piis ;
Dicite *Longinqui* (*Nam commemorare poteſtis*)
Quas Regio Hæc animas, Quos genuitque Viros ;
Quêis Pietas, ſyncera fides, Reverentiaque Almi
NUMINIS, æternum promeruere Decus ;
Diſcretæ (*in levibus*) ſi ſpectes LUMINA claſſis ;
Quam ſolido *in Solidis* Illa Nitore micant ?
Vtraque digna cohors quateret Quam nulla ſimultas,
Vtraque inoffenſam digna fovere fidem ;
Nunc at ab alterutris rapit improba turba Decores,
Muneraque *accito* debita ſola choro ;
Atque Vtinàm Veterum haud *Novus* obtriviſſet honores
Clerus Hic, Auguſti NOMINAQVE IPSA DEI,
Æquiùs hinc *tolerandus* ; At ultrà audacia crevit,
Rectorum Edictis, nec cohibenda minis :
Anglica Plebs, poſitufque ad Gubernacla *Senatus*,
Cui RERUM in validâ ſunt retinacla manu,
Siſte renaſcentum Furialia Cœpta Gigantum ;
Nec ſperni Imperio tradita Jura tuo,
Neve Miniſteriis *viles* oppedere *Sacris*,
Nec patere AMBONIS JVS violare, *greges* ;
Da *SANCTIS* (*SACER ORDO*) *frui te his fructibus horũ*
Sic & Amore velis, *ſic* Precibuſque frui :
Ah SPONSÆ prohibe ærumnas, Diſcriminaque almæ,
Ocyiùs ut *per Vos*, EVGE, TRIVMPHE, canat ;
Erige Dejectos, ignoſce Errantibus ; heu Mens
Quos dedit *ægra* reos, haud ſtudiumque Mali.
Læſos leni animos, merito tibi & aſſere *tanto*,
Non nova Proditio *hinc*, ſed novus *inſtat* Amor :
Servieras (VALERI inſignis) Qui REGIBVS olim,
PVBLICOLA inverſo nunc cluis *ultrò* Statu.
Regnet in Humanis animis Divina Voluntas ;
Subde *Homo* te REBVS, nè trahe Reſque tibi :
At TV qui Humanis didiciſti parcere Noxis,
Fer *ſemel* inque *Tuum* crimen, Amœne, *Caput*.

TVque Invicte, Tuæ Decus & SPES ALTERA Gentis
Qui varios uno pectore condis opes ;
ARMORVM PACISQVE Potens ! Fœlicia Dotum
Munera Munifico redde *Tributa* DEO :

Macte tuâ Virtute; ſacrique Chariſmata cordis
Exerere Officiis perge ſubindè piis;
Te comitem, *Affini COMITI* ſuperingere *CROMWEL*;
En majora manent *Serta merenda* Tibi:
Deſtrue degeneres, germanumque aſtrue Cultum;
Hybridas arce, ambi in Fœdera *Vericolas*;
Hincque Scotis parcas nuper Socialibus; His ſic
Litiga, ut amplecti qui magis (*Alme*) velis.
At prohibe Articulos malefidos (Optime) ſanos
Aſſerito, intactam *ſic* tueare Fidem.
Hæc age DUX; *tantis* Teque inſignito *Trophæis*:
Sic Patriæ fueris Gloria clara Domûs;
Sic *DEUS* impactum valido ferrumine clavum
ÆDIS in *Auguſtæ* miſerit ipſe latus,
Undè ſui Ornatûs cuncta Inſtrumenta Tribules
Suſpendant, ſtabili non ruitura loco;
Quin Inſtaurandi *TZIJONEM TEMPORIS Auſpex*
Promiſſæ audieris *Prodromus* atque *Spei*;
Quæ deindè exertis ſperata in Gaudia Votis,
Terricolis aderit, cœlitus orta, choris.

Tum pia longævos ſtirps ſuaviter extrahet annos,
Haud refluos æſtus, aut mala prima timens;
Non dolor attiguis præeuntem paſſibus anget,
Lætitiam afflatam, decutietve pavor.
Conſtabit toto Tempeſtas Aurea Mundo,
Nec *ruet* à ſummo Vertice Pacis apex;
Præteriere Vices, Rerum & revolubilis Ordo;
Tantùm aderit *Juſto Lætus in Orbe tenor*;
Non Furor externus, non intima ſæviet ATE,
Aut DIRARUM *inſons* terreat ulla genus:
Pacatis Pietate animis molimine vano
Admoviſſe ſuas tentet Alecto faces;
Ægide Fatiferæ nec egebunt Palladis; ictus
Gens metuet nullos Quam tegit Umbo DEI;
Tuta ſub expanſo, ſine fine, quieverit illo,
Verberibus linguæ, vulneribuſque Manûs;
A pœnis culpiſque ſimul *Sancta otia* ducet
Perpetua exercens SABBATHA, *Celſa cohors*,
Quâ cœli proſpectum aperit, Limenque recludit

Con-

Conſcius, attiguâ Fine, NEBUNTIS Apex:
Hic ſacra Progenies ſuperi commercia mundi
Sentiet, Angelicis accola facta choris;
Nunc *brevium* ærumnarum *æterna* Oblivia potans,
Et *vice* Deliciis uſque-*recente* fruens:
Lætitiæ aſſiduo enaſcentia *germina* carpens
Pollice, muneribus *ditis onuſta DEI*,
QUI dabit ad victum cuncta Inſtrumenta ſuperſint,
Aêreque ut *modico* gaudeat alma pecus;
Haud confixa die, torrentis cuſpide Phœbi,
Sydere Nocturno nec nimis uda madens;
Pabula roriſluo fœcundus ab Æthere clivus
Sufficiet, vivas Fonſque perennis aquas;
Integra tum Nemorum per luſtra innoxia vadet
Natio, nec rictus nunc *tremet ante* truces;
Cantibus (*Hymnifera*) *aſſueſcet*, modò geſtiet *albo*
Indigena & Turtur *clam* ceciniſſe ſinu,
Accurrenſque choriſta frequens, diſcrimine Vocum
Mox Vario, Auguſtum *concelebraſſe* DEVM;
Huncque *chorum* Soboles *Cananæa* nulla vetuſtæ
Polluet, immo ſacram nè pede tanget humum;
IZRÆLIS (priùs *acciſi*) Incrementa *Feracis*
Jam ſine Rivali pollicita arva prement.
Nec *pius* (in ſolidum ditionis amabilis hæres)
Grex feret immundos aſſociaſſe canes.
Illuſtri extabit ſublimis in aggere trames,
Sordida quem non Gens, turma ſed *Alba* teret;
Non *ibi* truxve Leo, pellacis Hyænave vultûs,
(*Competit haud Regno Viſve, Doluſve DEI*)
Non erit *hicque* DRACO, mollique Inſignis amictu
MÆCHA, & Fœmineis blanda Locuſta comis;
Jamque ſubærati Verba aurea PSEUDOPROPHETÆ,
Et Lepor, & CARMEN, Suadaque ceſſat iners,
Quicquid & Ambagum, ſinuoſo ænigmate, cultum
Subruit Archaicum ſubſtituitve Novum:
UNUM omnes uno ſimul ore & mente JEHOVAM
Tam ſine Diſſidiis, quàm ſine fraude colent.
TVM Deſiderium amoto Velamine CHRISTVS
Prodet, & in SPONSA jam requieſcet Amor,
Talibus & dictis, ſtudium Teſtatus apertum,

Mellifluo *Ecclesiam* perpluet imbre ſuam.

O longis Aſſueta malis, jactata procellis,
Vix leve ſolamen cui grave lenit onus;
En Tibi Sapphiris nova Fundamenta reponam,
Et *tua* pigmentis prælita ſaxa *Meis*;
Excolet *Ipſe* Adamas ſpecularia; clara Pyropus
Oſtia, Lux Fines & ~~Silicina~~ tuos: *Præciosa*
[Vis Res denudemne Tropo imminuente *Supernas?*]
Stirps tua concipiet VERA DOCENTE DEO;
Hinc benè munitas ſervans Pax integra Mentes,
Adveniet ſoboli, Mater amœna, tuæ.

Talia ſecla meis, *fluite* O, DEVS inquit Alumnis,
Pergite! PALMIFERO facta coæva choro;
En *EGO* namque Novum Cœlumque, Solumque recudo
[*Hæc colet Integritas, & genuina Fides*]
Biga vetuſta abiit; [*Mihi nunc oblita libenter*]
Nec memori emerget *Caſſa* ſubindè ſinu:
Vos at inexpletùm meliori Quos EGO Craſi
Recreo, lætitiis uſque vacate novis;
Namque HIEROSOLYMAM recreabo in Jubila Veſtram,
Exultaturos Ejus & indigenas;
Quin & ovante ſuper Solyma *& MIHI* Gaudia Pectus
Imbuerint, Populi *SORTE* ſuperque MEI;
Cardine in Hoc Rerum quod nec lachrymabile murmur
Perſtrepet, aut mœſtos Vox gemebunda Lares:
Non erit hìc Infans, præciſis Qui brevis annis
Poſt paucas Luces ceſſerit ORBE NOVO,
Neve Senex adeò, Cui longum effluxerit ævum
Hand *juſtâ* expletis Fruge Diebus, erit;
Infans nam ingreſſus, *niſi* Centenarius exit,
Vixerit at *peccans*, in ſua damna, Senex:
Sed Gens Noſtra ſtruens ſtructas etiam incolet ædes,
Quin Vineta ornans & ſata Vina bibet;
Namque MEIS par Ilicibus duraverit ætas,
Mercedemque operum longa per æva ferent:
Sudores non deſtituet juſtiſſima Tellus
Agricolæ, in *turbas* parturientve Nurus;
Nam Bnedictorum proles benedicta JEHOVÆ

Sunt

Sunt, & ab Illorum ſtirpe Propago virens:
Quin erit accurram ur, nondùm Exoratus, Amicis,
Saltem adero ad primas, Aure favente, preces:
ÆRA Dehinc miræ proceſſerit Aurea Pacis;
Innocuo accumbet debilis agna Lupo,
Gramina communem carpet Leo cum *Bove* paſtum,
Pulveris Anguineum paverit eſca genus;
Grex Noſter ſecurus aget, nec Monte maligni
Corrumpent Genii, perdiderintve Sacro;
Hæc ſors ſervorum DOMINI eſt! (agnoſcite *SANCTI*)
Horum *JUSTITIAM Munus & eſſe Meum.*

Tunc Chorus Inſignem reſonabit Amabilis ODAM
Quæ *MOSIS*, atque *AGNI* nobilitata ſtylo eſt.

Quam Magna OMNIPOTENS Mirandaq; Geſta, *Tuæ* quàm
(REX SANCTORVM) æquæ ſunt, ſtabileſq; *VIÆ!*
Quis te haud corde DEVS reverebitur, evehet Ore?
AM SANCTO nam TV SOLVS HONORE cluis,
Quin & adorabunt venerabundæ TVA Gentes
NVMINA, Vindictæ quod ſit *aperta* Fides.

HIS ſuper *eventis Recti*, ſtupor almus, *Alumnis*
Perfundet ſuavi pectora Deliquio:
Moxque recollectâ jam Mente *integra* Synaxis
Se Turbæ ad ſtrages eriget Ipſa malæ;
Atque (Egreſſa) Hominum ſpeculata cadavera cerner,
Fœderis ACTA (nefas) Qui repulêre DEI;
Triſtes exuviæ! Quarum non deſinet unquam
Vermis, inextinctâ dirave Flamma face;
Decumbent ſed enim Monumenta æterna JEHOVÆ
ULTORIS, cunctâ carne peroſa ſtrues.

Vacante adhuc in Hac Shedâ ſpaciolo, viſum erat Inſignis Hujus Cantici auctario ſupplere, Univerſim Eccleſiæ emolumento inſervienti.

Proœmium ſequentis HYMNI.

TRaditor *Iſtius* LEGIS poſtquam omnia Moſes
Verba receptivis inſcripſerat IPSE Tabellis,
Tunc erat; accinctis ut ad Enthea Juſſa Levitis,
[Queiſque Miniſtrium tractandi *SACRA JEHOVÆ*
Sorte DEI obtigerat] DOMINI Hæc mandata referret:
Dulce Satellitium Divini *cura* SACRARJ,
Hunc Librum, *Hoc* inquam manibus prenſate *volumen*
Autographum LEGIS, prenſumque reponite in ARCÆ
FOEDERIS interiore ſinu, remoretur ut *illic*
Perfidiæ in Populi *Indicium*; præſentio mores
Namque immorigeros, veſtræ Cervicis & atrox
Ingenium; *Viventis* adhuc reſiliſtis in ipſis
Proh! Noſtri *excubiis*, nedum poſt acta (*protervi*)
Funera præcipites Scelera in Majora ruetis.

Omnes ut coeant conceſſum cogite in unum
Et Tribuum Patres, & Eos quibus Ullius inſtat
Muneris officium; accedant; ut quaſlibet aures
Excutiam Sermone *gravi*, atteſterque vocatum
Cœlum Telluremque in eos *ſine fine* rebelles.
Namque Ego vaticinor mea, quod poſt fata, profundum
In ſcelerum Barathrum Vos immerſeritis ipſos,
Quodque ſalutarj LEGIS de tramite Noſtræ
(Quam Vobis *Volui* eſſe Viam) in tranſverſa vagantes
Curricula excurretis: Obortum *Tempore Sero*
Vndè *Malum* vos corripiet, quia ſponte *voletis*
Exercere Malum DOMINO coràm; ut *trucis Iræ*
Zelotypi Noxis *æſtum* accendatis IOVÆ.

FOEDERIS Æterni *MOSIS* Amanuenſis, *Horebi*
Per Juga (ſe *IZRÆLIS* circumfundente Coronâ)
Cuncta

Cuncta Hujus Pſaltes effudejat Inclytus Hymni
Eloquia, ad Finemque (Orſus) pertexuit Ipſum.

Hymnus MOSIS VIRI DEI, Deut. 32.

VOS O ſancta mihi referenti Oracula, Cœli
Auſcultetis uterque Polus, procul abſita Terræ
Climataq;, Eloquiis *aurita* attendite Noſtris;
Nam labiis doctrina meis fœcundus ut imber
Depluet; & Sermo ſtillans quaſi roſcidus humor
Imbuet intinctas animas ceu *lenè tenellas*
Æthereus de Nube latex deſcendit in herbas,
Denſiùs in gramen pluviæ aut Vis Major *adultum*.

Quandò INGENS NOMEN nunc eloquar ore JEHOVÆ
Ingentem, Sacra Gens, *INGENTI* aſcribite Famam.
ILLIVS eſt quâvis perfectum ex parte, vacanſque
Crimine *RUPIS* opus; Ratio ſed & omnis agendi
Canone Judicii procedit; & uſque tenaci
ILLE fide Accinctus, Studiiſque immunis iniquis,
JAH Juſtus, *RECTI* Primariaque audit Amuſſis.
Se malè corrupit, ſibi Gens ſpontanea Labem
Degener attraxit; Nec enim de PATRE JEHOVA
Turpe emanavit *genuinam* Dedecus Illud
In ſobolem; perverſæ *ultro*, *ſine vique* reflexæ
Traduce de primævo acceſſit Prava VOLVNTAS.
Sic Benefactorem compenſas ergo JEHOVAM
Gens ſtolida inſipienſq; ? annon *PATER* atq; REDEMPTOR
ILLE Tuus? provectæ annon tibi Sortis *ab Illo*
Obtigerat ſublimis apex, & culminis hujus
Firmatus tènor? Elapſi reminiſcere (ſolers)
Temporis, Æratum longè anteriore fluentum
Deq; Epochâ; primæva vacet Magnalia priſcis
Accepiſſe ab Avis, & Stirpis Origine veſtræ;
Annales Patriarcharum tunc Ordine claro
Te Prolem inſtituent, & Amores Temporis acti
Divinos facient celebri innoteſcere Famâ.

Gentibus

Gentibus omnigenis cum ſectum, Altiſſimus, Orbem
Dividerer, ſcitéque ſuis in ſedibus ADÆ
Semine prognatos diſcerneret (Arbiter Vnus)
Tunc data Regna *brevi CANANÆIS mutua* Turbis,
In metas Dominis poſuit Fineſque *Futuris* ;
Portio namque *DEI* Proprii eſt Gens lecta Peculi,
Ceſſit & in gratam ſoboles Abramitica ſortem
Funiculis dimenſa ſtatis ; Invenerat *Illam*
Errantem per inane ſolum, atque Vlulantis EREMI
Per loca fœta feris Animalibus ; inde prehenſam
ILLE manu, curâ ſecum circumtulit acri,
Erudiitq; rudem, quin & ſervavit inermem
Haud minùs ac *Ipſum* Privati *Lumen* ocelli ;
Vtque Aquila in tereti recubantes ceſpite Pullos
Excitat in Victus, implumibus incubat, alas
In latum expandenſque ſuas, *ſuper haſce* receptat
Ipſa volaturiens examen, & Alite forti
In *purum ſublime* vehit ; Sic Solus Alumnam
Circumduxit eam, ſecreto fune, JEHOVA,
Divo Alienigenâ nec Quidquam attraxit Opellæ.
Hanc DEUS Ipſe vehi ſuper edita mœnia Terræ
Expugnatori dederat, quò impunè liceret
Mandere pro libitu reditus *Telluris Amœnæ* ;
Vvida Mella cadis *Illi* expromenda petroſis,
Venam Oleæque dedit ſilicinâ è Rupe benignam.
Vaccarum concretum, effuſum Lacque Bidentum,
Agnorumque Adipata, Ducumque inſignis Ovilis,
Hircorumque *gregis Baſhanæi*, exortis opimam
Et tritici ſimilam, nec non tibi ſanguinis Vvæ
Puniceæ indulſit ſpumantem hauſiſſe liquorem.
Verùm O grande nefas ! ISTHÆC *Cognomine vano*
INTEGRA quæ audierat, pulpâ cum evaſit obeſâ
Altilis, *hinc* male grata recalcitraſſe JEHOVÆ
Cœperat Altori, vah refractaria ! obortas
Proficis in Carnes, craſſâ excreviſſe ſaginâ
Contigit in molem ; nitidâ pinguedine, Tota es
Circùm offuſa ; Quibus Facta irritatior œſtris,
Deſeruit *DOMINUM* in culmen Qui evexerat altum,
Quin RVPEMQVE ſuæ ſprevit Malefida ſalutis.

In

InBilem hinc fecere gravem effumare *JEHOVAM*
Diis cum alienigenis; quin *Zelotypaſque* furenti
Admovere faces, *ob amata Catharmata*; Quodq; haud
SACRA DEO, ſed Dæmoniis retulere Deaſtris,
Numinibus pridèm ignotis, de *incude recenti*
Quæ venere, Propinqua annis præſentibus; ullâ
Religione tui quæ non habuere parentes.
Immemor intereâ *RUPIS* virtute potenti
Quæ te progenuit; tibi & alta oblivio ſenſus
Formatoris adorandi oblimavit inertes.
Quod *DEUS* aſpiciens, incenſo Fervidus æſtu,
Indignatus atrox Facinus faſtidiit (*olim*
Filiolos, Nataſque ſuas) *nunc SEMEN* iniquum;
Dixit &, (ingentem Vim Irarum in Pectore volvens)
Quin Faciem Ipſe meam cohibebo Rebellibus iſtis,
Videroque è ſpeculâ, Me diſcedente, quis illis
Exitus obveniet; ſtudiis nam dedita pravis
Sunt notha progenies, VERO defecta Fideque.
Me Me *Zelotypum Thalami* fecere, per Illos
Qui minimè Dii ſunt, noſtras & inanibus iras
Terriculis movere: Idcirco (*Congruus ultor*)
Hos priſci nunc *Zelotypos & Honoris*, ab illis
Qui populus non ſunt angam, per ineptaque Gentûm
Ludibria, *antè illos habita*, effuriabo ſuperbos,
Dejiciamque gradu; Noſtro nam accenſa furore
Flamma vorax, Buſtum penitùs flagrabit ad imum,
Infrà Sarcophagum quoque prædatura profundum
Gibborum incendet cava Fundamenta Jugorum
Trux Vapor; aſſumptis ſed & IPSE Vltricibus armis
Projiciam ſuper exoſas mala dira catervas,
Inque execratos plenam evacuabo pharetram
Miſſilibus per aperta vagis; ſtrigoſa fatiſcent
Exſiccata fame & corpuſcula, febris acutæ
Impete & uſque novâ calefient; vel Luis atræ
Strage *vagâ* occumbent latè populantis; eorum
Sive trucum frangenda molaribus oſſa ferarum,
Sive doloriſicis dedam interimenda colubris,
Pulvereo tractu lapſantibus; Enſis, *aprico*
Sub Jove, *ſecretis* furet in *conclavibus* horror,

Lege

Lege pari Juvenem perimentes, atq; Puellam,
Vbera lactentem, Longævum & vertice cano.
Dixiſſem jampridem in clauſtra anguſtula tradam
Compede conſtrictos, *feciſſem* occurreret Horum
Famæ nè levis Aura, ævis memoranda futuris,
Ni *formidaſſem* gravè-debacchantis atrocem
Hoſtis Ego ſtomachum, nè ſe *Nequam ille* protervè
Contrâ Me gereret, tumido nè gutture turgens
Diceret occrepitans; *Mea ſeſe erexit in Altum*
Dextra, nec Iſta ſuâ Magnalia geſſit IOVA;
[Et meritò *egiſſem*] Namque Iſta obrutuit omnis
Natio, Judicio & ſenſu defecta ſagaci.
O utinam ſaperent, utinam O meliore vigerent
Mente, recenſerent rapidæque Noviſſima Vitæ:
Mille Alienigenas Bellator ſingulus *horum*
Quomodo *tunc* premeret? Claſſis Denaria denos
Hoſtium inæquali Millenos Marte fugaret;
Ni vænum herclè *ſuis* Illorum Priſtina RVPES
Expoſuiſſet eos, *Oſoribus* IPSE *Suoſque*
In tragulis *Inimicorum* clauſiſſet IOVA?
Nam minimè Illorum *Rupes evanida* RVPI
Noſtrati certet Virtute, Fideq; tenaci,
Non! ſi Judicibus certè vel ab Hoſtibus hæc Lis
Teſtibus utrimq; appoſitis dirimenda fuiſſet.
Provenit *Iſtorum* Sodomæ de Traduce Vitis,
Sive Gomorrhæi Generis; neq; gratior Vvis
Inſidet exoſis ſapor, horrendiſq; racemis,
Quàm qui à Felle mero Linguæ ſe affudit Amaror;
Vinumq; exprimitur Botris lethalibus Horum,
Tabe Draconum ipſo lethalius, atq; cruore
Aſpidici jecoris tincti livente Veneno;
Annon Archivis Noſtræ interioribus Iræ
Hæc infanda latent, aſſervanturq; fideli
Gazarum in phylacâ ſub firmo occluſa ſigillo?
Trux VINDICTA mihi retributrix *VLTIOQVE* aſtat
(*Triſte Satellitium*) En; Illorum Tempore *certo*
Corruet in præceps Planta, His impulſa miniſtris;
Ocyus illa dies volvetur ab Axe rapaci

His

His Nemeſim vectura, aderit properantiùs & Lux
Eventus quæ fatales ſine Nube recludet.
Nam Gregis Ipſius Jus aſſeret IPSE JEHOVA
Acer Agoniſta, & tetrico ſedatus ab æſtu
Attriti incipiet jam commiſerere Popelli;
Contemplatus opes fractas, Vimque undique caſſam
Nec ſupereſſe uſquam, *Quæ jam ſerventur*, inermes
Relliquias, extùs, vel clauſas Arcibus ullas;
Dicet & exprobrans, Quò Numina veſtra citatis
Jam ſe proripuere rotis, Electaq; Rupes
Cui veſtra integro incubuit Fiducia niſu,
Glutiit è plenâ Quæ craſſa tomacula Lance,
Hauſit & effuſi libamina ſacra meraci?
Quin ſe concutiant, tempeſtivumque miniſtrent
Auxilium, Voſque obtectos umbone tuentor.
Immò ad ME ſpectate; SALVS EGO ſola ſuperſum,
Nec mecum eſt Alius FORTIS DEVS; eneco Vivos,
Exanimes animo, immutilato corpore ſanos
Vulneribus lacero, laceratis Vulnera in Vnum
Vt coeant adduco; nec eſt Qui robore crudo
Vindicet ereptos â *ME Raptore* ſuperbos
Prævalidæ Virtute Manûs. JVRATOR in Orbes
Æthereos extollo Manum, En Hos advoco, *Verba*
In Mihi *jam dicenda*, ratos per ſæcula Teſtes;
JAH VIVO ÆTERNVM MIHI VITÆ Aborigenis
AVTHOR.

Quando coruſcantis cote exacuente Macheræ
Inſtaurans aciem, armatam complevero *DEXTRAM*
JVRE Ferox rigido; tunc Implacabilis VLTOR
Infeſtis *ſine fine ſequaces* Hoſtibus Iras
Retribuam, Juſtuſque Meis oſoribus Oſor
Condignam intulero Nemeſim; epotare ſagittas
Fecero ſanguineos latices, crudæque bipenni
Humanas impunè dabo depaſcere carnes;
Carnes *Cæſorum, Captivorumque* [*Minutis*
Concedentum Umbris] à *primo Limine* Atrociûm
Vindictarum Hoſti incurſantûm *jugiter*; Ergo
Vos Sacrâ cantate *dehinc* cum Gente, Tribules

VOS Alienigenæ: ſervorum namque ſuorum
Effuſas cum cæde animas ulciſcitur acer
En VINDEX; ſævis & ab hoſtibus exigit Illas (nus.
TELLVRISQVE ſuæ & *POPVLI MISERATOR* Amœ-

Errata Maximi Momenti.

PAge 15. lin. ult. le. *reduxi*: p. 18. l. 5. *Arg.* le. *paucos*: p. 21. l. ult. le. *Auribus accepiſſe*: p. 23. l. 1. le. *celebri*: p. 28. l. 25. le. *ſmegmate*: p. 29. l. 3. le: *impermiſſaque*; p. 31. l. 6. le. *pectora, vino, &c.* p. 34. l. 21. le. *reptantia*: p. 37. l. 1. *poſt Imperia pone colon*; p. 38. l. 4. *Arg. pro truxque* JEHOVÆ, *pone dirus & Hoſtis*: Ibid. l. 8. le. *Furiis commotus*: p. 42. l. 38. le. *Anxiùs*. p. 43. l. 7. *dele olim*: ib. l. 11. *dele comma*: p. 44. l. 35. le. *abortum*: p. 58. l. 19. le. *Nec Gens ulteriùs ſublatam infeſta ſecurim Stringet in alterius &c.* p. 66. l. 1. *Arg.* le. *Excidium*. p. 67. l. 8. le. *iterumne*. p. 80. l. 1. le. *ambiguis*. p. 82. l. 1. *Arg*, le. *Charifmate*. Ib. l. 6. le. *Uniet*: p. 83. l. 35. le. *Tractibus*: p. 86. l. 25. *dele* ( ) p. 91. l. 27. le. *recludite*. p. 96. In initio Paginæ deſunt duo verſus: *viz.*

Nomine freta ſui Gens quæque opibuſque Deaſtri
Ambulet, Intrepidi nos incedemus & Ipſi

P. 99. v. 24. le. *Fugiter abjectos pede proſternetis & hoſtes*. P. 100. l. 5. *ante Quocirca pone* 2 Pet. 3. *cap.* 14. *ver.* ib. l. 16. le. *repurgatos*. p. 104. l. 4. le. *Vos atque manebitis* Ipſi: p. 108. verſu 11. le. *heu*. p. 110. l. 35. le. *pariatque*. p. 111. l. 16. le. *ſubmicat*. p. 112, l. ult. le. *flatibus*. p. 120. ver. 20. le. *vaticinor, mea quod, &c.* ib. ver. 21. le. *vos immergetis & Ipſos*: p. 124. l. 19. le. *expoſuiſſet eos Oſoribus, &c.*

FINIS.